







PII X


PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

Vol. I.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1905


HARVARD COLLEGE
JAN 3 1921
LIBRARY

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

E supremi apostolatus cathedra, ad quam, consilio Dei inscrutabili, evecti fuimus, vobis primum eloquuturos, nihil attinet commemorare quibus Nos lacrymis magnisque precibus formidolosum hoc Pontificatus onus depellere a Nobis conati simus. Videmur equidem Nobis, etsi omnino meritis impares, convertere in rem Nostram posse quae Anselmus, vir sanctissimus, querebatur, quum, adversans et repugnans, coactus est honorem episcopatus suscipere. Etenim quae ille moeroris indicia pro se afferebat, eadem et Nobis proferre licet, ut ostendamus quo animo, qua voluntate Christi gregis pascendi gravissimum officii munus exceperimus. *Testantur,* sic ille [1], *lacrymae meae et voces et rugitus a gemitu cordis mei, quales nunquam de me, ullo dolore, memini exiisse ante*

[1] Epp. l. III, ep. 1.

diem illam, in qua sors illa gravis archiepiscopatus Cantuariae visa est super me cecidisse. Quod ignorare nequiverunt illi, qui, ea die, vultum meum inspexerunt.... Ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore et dolore pallebam. Huic autem de me electioni, imo violentiae, hactenus, quantum potui, servata veritate, reluctatus sum. Sed iam, velim nolim, cogor fateri quia quotidie iudicia Dei magis ac magis conatui meo resistunt, ut nullo modo videam me ea posse fugere. Unde iam non tam hominum quam Dei, contra quam non est prudentia, victus violentiâ, hoc solo intelligo me uti debere consilio, ut, postquam oravi quantum potui, et conatus sum ut, si possibile esset, calix iste transiret a me ne biberem illum..., meum sensum et voluntatem postponens, me sensui et voluntati Dei penitus committam.

Nec plane repugnandi causae, multae et maximae, defuerunt Nobis. Praeterquam enim quod honore pontificatus, ob tenuitatem Nostram, nullo pacto Nos dignaremur; quem non moveret ei se successorem designari, qui, cum Ecclesiam sex fere ac viginti annos sapientissime rexisset, tanta valuit alacritate ingenii, tanto virtutum omnium splendore, ut vel adversarios in sui admirationem traduxerit et memoriam sui nominis factis praeclarissimis consecrarit? — Dein, ut praetereamus cetera, terrebat Nos, quam quod maxime, ea quae modo est humani generis conditio afflictissima. Quem enim lateat, consociationem hominum gravissimo nunc, supra praeteritas aetates, atque intimo urgeri morbo; qui in dies ingravescens eamque penitus exedens, ad exitium rapit? Morbus qui sit, intelligitis, Venerabiles Fratres: defectio abscessioque a Deo; quo nihil profecto cum pernicie coniunctius, secundum

Prophetae dictum [1]: *Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt.* Tanto igitur malo, pro pontificali munere quod demandabatur, occurrendum esse Nobis videbamus; arbitrabamur enim Dei iussum ad Nos pertinere: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes* [2]; verum conscii Nobis infirmitatis Nostrae, negotium, quod nihil simul haberet morae et difficultatis plurimum, suscipere verebamur.

Attamen, quoniam numini divino placuit humilitatem Nostram ad hanc amplitudinem potestatis provehere; erigimus animum *in eo qui* Nos *confortat,* Deique virtute freti manum operi admoventes, in gerendo pontificatu hoc unum declaramus propositum esse Nobis *instaurare omnia in Christo* [3], ut videlicet sit *omnia et in omnibus Christus* [4]. — Erunt profecto qui, divina humanis metientes, quae Nostra sit animi mens rimari nitantur atque ad terrenos usus partiumque studia detorquere. His ut inanem spem praecidamus, omni asseveratione affirmamus nihil velle Nos esse, nihil, opitulante Deo, apud consociationem hominum futuros, nisi Dei, cuius utimur auctoritate, administros. Rationes Dei rationes Nostrae sunt; pro quibus vires omnes vitamque ipsam devovere decretum est. Unde si qui symbolum a Nobis expetant, quod voluntatem animi patefaciat; hoc unum dabimus semper: *Instaurare omnia in Christo!*

[1] Ps. LXXII, 27.
[2] Ierem. I, 10.
[3] Ephes. I, 10.
[4] Coloss. III, 11.

Quo quidem in praeclaro opere suscipiendo urgendoque illud Nobis, Venerabiles Fratres, alacritatem affert summam, quod certum habemus fore vos omnes strenuos ad perficiendam rem adiutores. Id enim si dubitemus, ignaros vos, non sane iure, aut negligentes putaverimus nefarii illius belli, quod nunc, ferme ubique, commotum est atque alitur adversus Deum. Vere namque in Auctorem suum *fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania* [1]; ut communis fere ea vox sit adversantium Deo: *Recede a nobis* [2]. Hinc extincta omnino in plerisque aeterni Dei reverentia, nullaque habita in consuetudine vitae, publice ac privatim, supremi eius numinis ratio: quin totis nervis contenditur omnique artificio, ut vel ipsa recordatio Dei atque notio intereat penitus.

Haec profecto qui reputet, is plane metuat necesse est ne malorum, quae supremo tempore sunt expectanda, sit perversitas haec animorum libamentum quoddam ac veluti exordium; neve *filius perditionis,* de quo Apostolus loquitur [3], iam in hisce terris versetur. Tanta scilicet audacia, eo furore religionis pietas ubique impetitur, revelatae fidei documenta oppugnantur, quaeque homini cum Deo officia intercedunt tollere delere prorsus praefracte contenditur! E contra, quae, secundum Apostolum eumdem, propria est *Antichristi* nota, homo ipse, temeritate summa, in Dei locum invasit, extollens se *supra omne quod dicitur Deus;* usque adeo ut, quamvis Dei notitiam extinguere penitus in se nequeat, Eius tamen

[1] Ps. II, 1.
[2] Iob. XXI, 14.
[3] II Thess. II, 3.

maiestate reiecta, aspectabilem hunc mundum sibi ipse veluti templum dedicaverit a ceteris adorandus. *In templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*[1].

Enimvero hoc adversus Deum mortalium certamen qua sorte pugnetur nullus est sanae mentis qui ambigat. Datur quidem homini, libertate sua abutenti, rerum omnium Conditoris ius atque numen violare; verumtamen victoria a Deo semper stat: quin etiam tum propior clades imminet, quum homo, in spe triumphi, insurgit audentior. Haec ipse Deus nos admonet in Scripturis sanctis. *Dissimulat* scilicet *peccata hominum*[2], suae veluti potentiae ac maiestatis immemor: mox vero, post adumbratos recessus, *excitatus... tamquam potens crapulatus a vino*[3], *confringet capita inimicorum suorum*[4]; ut norint omnes *quoniam rex omnis terrae Deus*[5], et *sciant gentes quoniam homines sunt*[6].

Haec quidem Venerabiles Fratres, fide certa tenemus et expectamus. Attamen non ea impediunt quominus, pro nostra quisque parte, Dei opus maturandum nos etiam curemus: idque, non solum efflagitando assidue: *Exsurge Domine, non confortetur homo*[7]; verum, quod plus interest, re et verbo, luce palam, supremum in homines ac naturas ceteras Dei dominatum adserendo vindicandoque, ut Eius imperandi ius

[1] II Thess. II, 4.
[2] Sap. XI, 24.
[3] Ps. LXXVII, 65.
[4] Ib. LXVII, 22.
[5] Ps. XLVI, 8.
[6] Ib. IX, 21.
[7] Ps. IX, 20.

ac potestas sancte colatur ab omnibus et observetur. — Quod plane non modo officium postulat a natura profectum, verum etiam communis utilitas nostri generis. Quorumnam etenim, Venerabiles Fratres, animos non conficiat trepidatio ac moeror, quum homines videant, partem maximam, dum quidem humanitatis progressus haud immerito extolluntur, ita digladiari atrociter inter se, ut fere sit omnium in omnes pugna? Cupiditas pacis omnium profecto pectora attingit, eamque nemo est qui non invocet vehementer. Pax tamen, reiecto Numine, absurde quaeritur: unde namque abest Deus, iustitia exsulat; sublatâque iustitia, frustra in spem pacis venitur. *Opus iustitiae pax* [1]. — Novimus equidem non paucos esse, qui studio pacis ducti, *tranquillitatis* nempe *ordinis,* in coetus factionesque coalescunt, quae ab *ordine* nominant. Proh tamen spes curasque inanes! Partes *ordinis,* quae pacem afferre turbatis rebus reapse queant, unae sunt: partes faventium Deo. Has igitur promovere necesse est, ad easque quo licebit plures addücere, si securitatis amore incitamur.

Verum haec ipsa, Venerabiles Fratres, humanarum gentium ad maiestatem Dei imperiumque revocatio, quantumvis licet conemur, nunquam nisi per Iesum Christum eveniet. Monet enim Apostolus: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus* [2]. Scilicet unus ipse est, *quem Pater sanctificavit, et misit in mundum* [3]*; splendor gloriae, et figura substantiae eius* [4], Deus

[1] Is. xxxii, 17.
[2] I Cor. iii, 11.
[3] Io. x, 36.
[4] Hebr. i, 3.

verus verusque homo: sine quo, Deum, ut oportet, agnoscere nemo possit; nam *neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* [1]. — Ex quo consequitur, ut idem omnino sit *instaurare omnia in Christo* atque homines ad Dei obtemperationem reducere. Huc igitur curas intendamus oportet, ut genus hominum in Christi ditionem redigamus: eo praestito, iam ad ipsum Deum remigraverit. Ad Deum inquimus, non socordem illum atque humana negligentem, quem *materialistarum* deliramenta effinxerunt; sed Deum vivum ac verum, unum natura, personis trinum, auctorem mundi, omnia sapientissime providentem, iustissimum denique legislatorem, qui sontes plectat, praemia proposita virtutibus habeat.

Porro qua iter nobis ad Christum pateat, ante oculos est: per Ecclesiam videlicet. Quamobrem iure Chrysostomus: *Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia* [2]. In id namque illam condidit Christus, quaesitam sui sanguinis pretio; eique doctrinam suam ac suarum praecepta legum commendavit, amplissima simul impertiens divinae gratiae munera ad sanctitatem ac salutem hominum.

Videtis igitur, Venerabiles Fratres, quale demum Nobis vobisque pariter officium sit demandatum: ut consociationem hominum, a Christi sapientia aberrantem, ad Ecclesiae disciplinam revocemus; Ecclesia vero Christo subdet, Christus autem Deo. Quod si, Deo ipso favente, perficiemus, iniquitatem cessisse aequitati gratulabimur, audiemusque feliciter *vocem magnam in caelo dicentem: Nunc facta est salus, et virtus,*

[1] Matth. XI, 27.

[2] Hom. *de capto Eutropio,* n. 6.

et regnum Dei nostri, et potestas Christi eius [1]. — Hic tamen ut optatis respondeat exitus, omni ope et opera eniti opus est ut scelus illud immane ac detestabile, aetatis huius proprium, penitus eradamus, quo se nempe homo pro Deo substituit: tum vero leges Evangelii sanctissimae ac consilia in veterem dignitatem vindicanda; adserendae altius veritates ab Ecclesia traditae, quaeque eiusdem sunt documenta de sanctitate coniugii, de educatione doctrinaque puerili, de bonorum possessione atque usu, de officiis in eos qui publicam rem administrant; aequilibritas demum inter varios civitatis ordines christiano instituto ac more restituenda. — Nos profecto haec Nobis, Dei nutui obsequentes, in pontificatu prosequenda proponimus, ac pro virili parte prosequemur. Vestrum autem erit, Venerabiles Fratres, sanctitate, scientia, agendorum usu, studio cum primis divinae gloriae, industriis Nostris obsecundare; nihil aliud spectantes praeterquam ut in omnibus *formetur Christus* [2].

Iam quibus ad rem tantam utamur adiumentis, vix dicere oportet; sunt enim de medio sumpta. Curarum haec prima sunto, ut Christum formemus in iis, qui formando in ceteris Christo officio muneris destinantur. Ad sacerdotes mens spectat, Venerabiles Fratres. Sacris namque quotquot initiati sunt, eam in populis quibuscum versantur, provinciam sibi datam norint, quam Paulus suscepisse testatus est amantissimis iis verbis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* [3]. Qui tamen explere munus queant,

[1] Apoc. XII, 10.
[2] Gal. IV, 19.
[3] Ibid.

nisi priores ipsi Christum induerint? atque ita induerint, ut illud Apostoli eiusdem usurpare possint: *Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus* [1]*; Mihi vivere Christus est* [2]*?* Quamobrem, etsi ad fideles omnes pertinet hortatio ut *occurramus... in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* [3]; praecipue tamen ad illum spectat qui sacerdotio fungitur; qui idcirco dicitur *alter Christus*, non una sane potestatis communicatione, sed etiam imitatione factorum, qua expressam in se Christi imaginem praeferat.

Quae cum ita sint, quae vobis quantaque, Venerabiles Fratres, ponenda cura est in clero ad sanctitatem omnem formando! Huic, quaecumque obveniant, negotia cedere necesse est. Quamobrem pars potior diligentiarum vestrarum sit de seminariis sacris rite ordinandis moderandisque, ut pariter integritate doctrinae et morum sanctitate floreant. Seminarium cordis quisque vestri delicias habetote, nihil plane ad eius utilitatem omittentes, quod est a Tridentina Synodo providentissime constitutum. — Quum vero ad hoc ventum erit ut candidati sacris initiari debeant, ne quaeso excidat animo quod Paulus Timotheo perscripsit: *Manus cito nemini imposueris* [4], illud attentissime reputando, tales plerumque fideles futuros, quales fuerint quos sacerdotio destinabitis. Quare ad privatam quamcumque utilitatem respectum ne habetote; sed unice spectetis Deum et Ecclesiam et sempiterna animorum

[1] Gal. II, 20.
[2] Philipp. I, 21.
[3] Ephes IV, 13.
[4] I Tim. V, 22.

commoda, ne videlicet, uti Apostolus praecavet, communicetis *peccatis alienis* [1]. — Porro sacerdotes initiati recens atque e seminario digressi industrias vestras ne desiderent. Eos, ex animo hortamur, pectori vestro, quod caelesti igne calere oportet, admovete saepius, incendite, inflammate ut uni Deo et lucris animorum inhient. Nos equidem, Venerabiles Fratres, diligentissime providebimus ne homines sacri cleri ex insidiis capiantur novae cuiusdam ac fallacis scientiae, quae Christum non redolet, quaeque, fucatis astutisque argumentis, *rationalismi* aut *semirationalismi* errores invehere nititur; quos ut caveret iam Apostolus Timotheum monebat, scribens: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* [2]. Hoc tamen non impedimur quo minus laude dignos existimemus illos e sacerdotibus iunioribus, qui utilium doctrinarum studia, in omni sapientiae genere, persequuntur, ut inde ad veritatem tuendam atque osorum fidei calumnias refellendas instructiores fiant. Verumtamen celare haud possumus, quin etiam apertissime profitemur, primas Nos semper delaturos iis qui, quamvis sacras humanasque disciplinas minime praetereunt, proxime nihilosecius animorum utilitatibus se dedant, eorum procuratione munerum, quae sacerdotem deceant divinae gloriae studiosum. *Tristitia* Nobis *magna est, et continuus dolor cordi* Nostro [3], quum cadere etiam in aetatem nostram conspicimus Ieremiae lamentatio-

[1] I Tim. v, 22.
[2] Ib. vi, 20-21.
[3] Rom. ix, 2.

nem: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* [1]. Non enim de clero desunt, qui, pro cuiusque ingenio, operam forte navent rebus adumbratae potius quam solidae utilitatis: at verum non adeo multi numerentur qui, ad Christi exemplum, sibi sumant Prophetae dictum: *Spiritus Domini... unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum* [2]. — Quem tamen fugiat, Venerabiles Fratres, quum homines ratione maxime ac libertate ducantur, religionis disciplinam potissimam esse viam ad Dei imperium in humanis animis restituendum? Quot plane sunt qui Christum oderunt, qui Ecclesiam, qui Evangelium horrent ignoratione magis quam pravitate animi! de quibus iure dixeris: *quaecumque quidem ignorant, blasphemant* [3]. Idque non in plebe solum reperire est aut in infima multitudine, quae ideo in errorem facile trahitur; sed in excultis etiam ordinibus atque adeo in iis, qui haud mediocri eruditione ceteroqui polleant. Hinc porro in plerisque defectus fidei. Non enim dandum est, scientiae progressibus extingui fidem, sed verius inscitia; ut idcirco ubi maior sit ignorantia, ibi etiam latius pateat fidei defectio. Quapropter Apostolis a Christo mandatum est: *Euntes, docete omnes gentes* [4].

Nunc autem, ut ex docendi munere ac studio fructus pro spe edantur atque in omnibus *formetur Christus*, id penitus in memoria insideat, Venerabiles Fratres, nihil omnino esse

[1] Thren. vi, 4.
[2] Luc. vi, 18-19.
[3] Iud. 10.
[4] Matth. xxviii, 19.

caritate efficacius. *Non* enim *in commotione Dominus* [1]. Allici animos ad Deum amariore quodam conatu, speratur perperam: quin etiam errores acerbius increpare, vitia vehementius reprehendere, damno magis quam utilitati aliquando est. Timotheum quidem Apostolus hortabatur: *Argue*, *obsecra*, *increpa;* attamen addebat: *in omni patientia* [2]. — Certe eiusmodi nobis exempla prodidit Christus. *Venite,* sic ipsum alloquutum legimus, *venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* [3]. Laborantes autem oneratosque non alios intelligebat, nisi qui peccato vel errore tenerentur. Quanta enimvero in divino illo magistro mansuetudo! quae suavitas, quae in aerumnosos quoslibet miseratio! Cor eius plane pinxit Isaias iis verbis: *Dedi spiritum meum super eum; ... non clamabit; ... calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet* [4]. — Quae porro caritas, *patiens* et *benigna* [5], ad illos etiam porrigatur necesse est, qui sunt nobis infesti, vel nos inimice insectantur. *Maledicimur et benedicimus,* ita de se Paulus profitebatur, *persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus* [6]. Peiores forte quam sunt videntur. Consuetudine enim aliorum, praeiudicatis opinionibus, alienis consiliis et exemplis, malesuada demum verecundia in impiorum partem translati sunt: attamen eorum voluntas non adeo est depravata, sicut et ipsi putari gestiunt.

[1] III Reg. xix, 11.
[2] II Tim. iv, 2.
[3] Matth. xi, 28.
[4] Is. xlii, 1, 3.
[5] I Cor. xiii, 4.
[6] Ib. iv, 12, s.

Quidni speremus christianae caritatis flammam ab animis caliginem dispulsuram atque allaturam simul Dei lumen et pacem? Tardabitur quandoque forsitan laboris nostri fructus; sed caritas sustentatione nunquam defatigatur, memor non esse praemia a Deo proposita laborum fructibus sed voluntati.

Attamen, Venerabiles Fratres, non ea Nobis mens est ut, in toto hoc opere tam arduo restitutionis humanarum gentium in Christo, nullos vos clerusque vester adiutores habeatis. Scimus mandasse Deum unicuique de proximo suo [1]. Non igitur eos tantum, qui sacris se addixerunt, sed universos prorsus fideles rationibus Dei et animorum adlaborare oportet: non marte utique quemque suo atque ingenio, verum semper Episcoporum ductu atque nutu; praeesse namque, docere, moderari nemini in Ecclesia datur praeter quam vobis, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* [2]. — Catholicos homines, vario quidem consilio at semper religionis bono, coire inter se societatem, Decessores Nostri probavere iamdiu bonaque precatione sanxerunt. Institutum porro egregium Nos etiam laudatione Nostra ornare non dubitamus, optamusque vehementer ut urbibus agrisque late inferatur ac floreat. Verumenimvero consociationes eiusmodi eo primo ac potissimum spectare volumus, ut quotquot in illas cooptantur christiano more constanter vivant. Parum profecto interest quaestiones multas subtiliter agitari, deque iuribus et officiis eloquenter disseri, ubi haec ab actione fuerint seiugata. Postu-

[1] Eccli. xvii, 12.
[2] Act. xx, 28.

lant enim actionem tempora; sed eam quae tota sit in divinis legibus atque Ecclesiae praescriptis sancte integreque servandis, in religione libere aperteque profitenda, in omnigenae demum caritatis operibus exercendis, nullo sui aut terrenarum utilitatum respectu. Illustria eiusmodi tot Christi militum exempla longe magis valitura sunt ad commovendos animos rapiendosque quam verba exquisitaeque disceptationes; fietque facile ut, abiecto metu, depulsis praeiudiciis ac dubitationibus, quamplurimi ad Christum traducantur provehantque ubique notitiam eius et amorem; quae ad germanam solidamque beatitatem sunt via. Profecto si in urbibus, si in pagis quibusvis praecepta Dei tenebuntur fideliter, si sacris erit honos, si frequens sacramentorum usus, si cetera custodientur quae ad christianae vitae rationem pertinent; nihil admodum, Venerabiles Fratres, elaborandum erit ulterius ut omnia in Christo instaurentur. Neque haec solum caelestium bonorum prosequutionem spectare existimentur: iuvabunt etiam, quam quae maxime, ad huius aevi publicasque civitatum utilitates. His namque obtentis, optimates ac locupletes aequitate simul et caritate tenuioribus aderunt, hi vero afflictioris fortunae angustias sedate ac patienter ferent; cives non cupiditati, sed legibus parebunt; principes et quotquot rempublicam gerunt, quorum *non est potestas nisi a Deo* [1], vereri ac diligere sanctum erit. Quid plura? Tunc demum omnibus persuasum fuerit debere Ecclesiam, prouti ab auctore Christo est condita, plena integraque libertate frui nec alienae dominationi subiici; Nosque, in hac

[1] Rom. XIII, 1.

ipsa libertate vindicanda, non religionis modo sanctissima tueri iura, verum etiam communi populorum bono ac securitati prospicere. Scilicet *pietas ad omnia utilis est* [1]: eaque incolumi ac vigente, *sedebit* reapse *populus in pulchritudine pacis* [2].

Deus, *qui dives est in misericordia* [3], hanc humanarum gentium in Christo Iesu instaurationem benignus festinet; *non* enim *volentis* opus *neque currentis, sed miserentis est Dei* [4]. Nos vero, Venerabiles Fratres, *in spiritu humilitatis* [5], quotidiana et instanti prece id ab Eo contendamus ob Iesu Christi merita. Utamur praeterea praesentissima Deiparae impetratione: cui conciliandae Nobis, quoniam has litteras die ipsa damus, quae recolendo Mariali Rosario est instituta, quidquid Decessor Noster de octobri mense Virgini augustae dicando edixit, publicâ per templa omnia eiusdem Rosarii recitatione, Nos pariter edicimus et confirmamus; monentes insuper ut deprecatores etiam adhibeantur castissimus Dei Matris Sponsus, catholicae Ecclesiae patronus, sanctique Petrus et Paulus apostolorum principes.

Quae omnia ut rite eveniant et cuncta vobis pro desiderio fortunentur, divinarum gratiarum subsidia uberrime exoramus. Testem vero suavissimae caritatis, qua vos et universos fideles, quos Dei providentia Nobis commendatos voluit,

[1] I Tim. IV, 8.
[2] Is. XXXII, 18.
[3] Ephes. II, 4.
[4] Rom. IX, 16.
[5] Dan. III, 39.

complectimur, vobis Venerabiles Fratres, clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IV Octobris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

ANGELORVM

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Praedecessoris Nostri Leonis Papae Decimi tertii felicis recordationis vestigia sedulo prosequentes, ad Catholicam gubernandam Ecclesiam ab aeterno illius Auctore licet immeriti destinati, omnem curam sollicitudinemque Nostram ad ea intendimus, quae meliori animarum bono ac saluti magis in Domino novimus profectura. Novas erigere dioeceses et ecclesiasticas provincias, quoties id spirituale fidelium bonum, quod in omnibus Ecclesia spectare debet, expostulare videbatur, fuit semper Apostolicae Sedis sollicitudo. Nec mirum; Episcopi enim a Deo positi sunt, ut regant ac pascant Iesu Christi gregem; iis proinde in regionibus, in quibus territorii amplitudo, vel populi numerositas, aut itinerum asperitas difficiles reddit fidelium ad suos pastores accessus, opportunum, imo et necessarium est, ut novae constituantur Episcopales Sedes, atque ita promptior et efficacior fiat cura et vigilantia pastoralis. Verum, aucto dioecesium numero, Archiepiscopales Sedes et ipsae augeantur oportet, ut facilior

2

pateat Episcoporum ad Archiepiscopum aditus, et Ecclesiasticae causae, matrimoniales praesertim, ea qua par est sollicitudine discutiantur et dirimantur. Cum itaque, sicut accepimus, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Tlascalen. seu Angelorum in Mexicana Republica, occasionem nactum quod in eadem Republica anno elapso, Litteris Apostolicis sub plumbo, quarum initium « Apostolica Sedes », septimo calendas Maii datis, disiunctis ex territorio dictae Tlascalensis seu Angelorum dioecesis aliquibus civitatibus, nova ex iisdem constituta fuerit Episcopalis Sedes de Mixtecas, enixis precibus apud hanc Apostolicam Sedem institisset, ut Episcopalis Ecclesia Tlascalensis seu Angelorum ad dignitatem et honorem Ecclesiae Metropolitanae attolleretur, cum assignatione in suffraganeam noviter erectae dioecesis de Mixtecas: et idem Leo Praedecessor, prout rei gravitas postulabat, totum negotium Sacrae Congregationi negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae expendendum commiserit: cumque, re mature perpensa, fuerit compertum expostulatam novae ecclesiasticae provinciae in civitate Angelorum erectionem ob auctum Suffraganearum dioecesium numerum esse necessariam ac in spirituale fidelium bonum cessuram, dictus Leo Praedecessor Noster ad eiusdem constitutionem deveniendum Apostolica sua auctoritate statuit et ordinavit. Verum, ita disponente Divina Providentia, morte interceptus, prohibitus est quominus, quod Ipse statuerat, ad optatum exitum perduceret. Nos igitur, omnibus quae in huiusmodi negotiis animadvertenda sunt perpensis ac de omnibus certiores facti, omnia quae a dicto Leone Praedecessore decreta fuerant debitae exequutioni demandanda esse existimavimus. Itaque Nos,

omnes et singulos, quibus dictae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio deque Apostolicae potestatis plenitudine, ac attento consensu, quem in novae huius provinciae ecclesiasticae erectionem praestiterunt Venerabiles Fratres Nostri, sive Ioseph Maria Alarcon, hodiernus Archiepiscopus Mexican., sive Eulogius Gillow, hodiernus etiam Archiepiscopus de Antequera, Tlascalensem seu Angelorum Episcopalem Sedem a iure Metropolitico Archiepiscopalis Ecclesiae Mexican. Apostolica auctoritate exsolvimus atque eximimus, et praevia in ea eiusque Cathedrali Capitulo necnon Civitate et dioecesi, status, tituli ac Sedis Episcopalis dignitatis suppressione et extinctione, ex certa scientia et matura deliberatione deque Apostolicae potestatis plenitudine ad gradum et dignitatem Ecclesiae Archiepiscopalis et Metropolitanae evehimus atque extollimus, atque in ea Archiepiscopalem et Metropolitanam Sedem, non amplius Tlascalensem, sed Angelorum tantum nuncupandam, eadem Apostolica auctoritate erigimus et instituimus. Huic autem, ut supra erectae, Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Angelorum, omnia et singula iura, privilegia et praerogativas a Sedibus Archiepiscopalibus et Metropolitanis in Mexicana regione haberi solita et consueta plenarie attribuimus et assignamus; ac deinde Venerabili Fratri Nostro Iosepho Raymundo Ibarra, qui actu Tlascalensem seu Angelorum Episcopalem Sedem obtinet, Archiepiscopi titulum, ita ut postea Archiepiscopus Ange-

lorum sit nuncupandus, una cum delatione Pallii et Crucis, nec non una cum aliis insignibus, honoribus, iuribus et privilegiis, gratiis quoque et indultis, quibus ceteri Archiepíscopi de iure, usu et consuetudine in Mexicana regione legitime fruuntur et gaudent, eodem pariter modo et absque ullo discrimine, tam ipsi, quam etiam futuris eius in Archiepiscopali Sede Angelorum legitimis Successoribus, pari Apostolica auctoritate impertimur, concedimus atque conferimus. Cum vero nova dioecesis de Mixtecas, anno superiore erecta, Sedi Apostolicae *immediate subiecta* fuerit constituta donec aliter de ea disponere eidem Apostolicae Sedi visum fuerit, dictam dioecesim de Mixtecas ab immediata subiectione erga dictam Apostolicam Sedem eximentes, eandem in suffraganeam Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Angelorum attribuimus et accensemus, ac eius Episcopum pro tempore existentem, in Archiepiscopi Angelorum Suffraganeum, qui iuri ipsius Archiepiscopali et Metropolitico subsit, constituimus et adscribimus; quodque Clerus et populus dictae dioecesis de Mixtecas sicut quoad Episcopalem suo Episcopo, ita praedicto Metropolitanae Ecclesiae Angelorum quoad Archiepiscopalem et Metropoliticam iurisdictionem sint subiecti iuxta canonicas sanctiones volumus et mandamus. Huic autem Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Angelorum, ut supra erectae, pro sua dioecesi idem territorium eandemque regionem, quam Episcopalis Sedes Tlascalensis seu Angelorum sibi peculiarem et propriam obtinuit, servatis nempe iisdem limitibus et finibus, qui Episcopalis dioecesis Tlascalensis seu Angelorum, ut in praemissis suppressae, territorium et ambitum huc usque efformarunt atque constituerunt, adscri-

bimus atque assignamus. Canonicam autem taxam memoratae Ecclesiae Angelorum in Mexicana Republica, ad dignitatem et gradum Archiepiscopalem et Metropoliticum, ut praefertur, erectae, in aureis florenis de Camera sexaginta sex cum tertia floreni similis parte taxari constituimus, atque hanc taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi mandamus. Demum ad huiusmodi erectionem in Archiepiscopalem et Metropolitanam Sedem et ad praemissorum omnium et singulorum effectum, quorumcumque in hac erectione et dismembratione interesse quomodolibet habentium consensui, quatenus opus sit, de Nostra et dictae Sedis Apostolicae potestatis plenitudine supplemus. Nobis autem et eidem Sedi novas circumscriptiones aut dismembrationes in hac nova ecclesiastica provincia libere peragendi, quandocumque id in Domino magis expedire visum fuerit, quin ullum in id Antistitum et Capitulorum consensum exquiri, aut territorialem ullam compensationem attribui necesse sit, reservavimus facultatem. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel defectu, aut quavis ex causa quamtumvis iuridica, legitima, pia et privilegiata, etiam ex eo quod causae, propter quas praemissa emanarunt, adductae, verificatae seu iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quoquam alio substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut

ex quocumque alio capite, colore vel praetextu, aliave ratione, aut causa, etiam tali, quae ad effectum validitatis earundem praesentium necessario foret exprimenda, notari impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illum et illas quandocumque iuris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, vel etiam Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato, quempiam uti, seu se iuvari posse in iudicio et extra illud, atque eas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque Litteras et Constitutiones aut Cancellariae Apostolicae Regulas etiam consistorialiter ex quisbusvis causis et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus et formis (etiamsi in eis de iisdem partibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat) quandocumque editas, vel edendas, minime comprehendi, seu comprehensas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas ac plenarie reintegratas ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ita ab omnibus censeri, ac firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et

interpretandi potestate et facultate, iudicari et definiri debere ac irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter aut ignoranter contigerit attentari. Quocirca, ut haec omnia a Nobis superius constituta suum etiam sortiantur effectum, memorato Venerabili Fratri Nostro Prospero Mariae Alarcon Archiepiscopo Mexican. per ipsas praesentes committimus et mandamus, ut ipse ad praemissorum omnium et singulorum exequutionem procedat, omnes singulas facultates ad id quomodolibet necessarias et opportunas ei impertiendo, facta eidem insuper potestate quamcumque aliam personam, in ecclesiastica tamen dignitate constitutam, subdelegandi, ita tamen ut ipse Prosper Maria Archiepiscopus vel eius Subdelegatus, possit definitive pronunciare super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura. Non obstantibus (quatenus opus sit) Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula « De iure quaesito non tollendo » ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis ac Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda,

aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes (illis alias in suo robore permansuris) latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum pro hac vice dumtaxat, Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Prosper Maria Archiepiscopus infra sex menses authenticum exemplar actorum omnium, quae ad commissam exequutionem explendam ipse erit emissurus, ad memoratam Congregationem S. R. E. Cardinalium Rebus Consistorialibus praepositam transmittere teneatur, ut ea in tabulario eiusdem Congregationis ad perpetuam rei memoriam et normam custodiantur. Volumus etiam quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, exsolutionis, exemptionis, suppressionis, extinctionis, evectionis, erectionis, institutionis, declarationis, subiectionis, constitutionis, assignationis, impertitionis, concessionis, indulti, praecepti, reservationis, mandati, voluntatis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei

ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo tertio, quinto idus Augusti, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
CAROLO CVSTODIS PRAESIDI PRIMO
CONVENTVI CATHOLICORVM PARANDO
COLONIAM AGRIPPINAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quas nuper ad Nos misisti litteras nomine coetus conventui catholicorum parando, eae duplici ex causa postulant ut grati benevolentisque animi Nostri non mediocrem iucunditatem testemur. Porro commune gratulationis officium, quod, propter summi Pontificatus munus Nobis divina favente clementia concreditum, deferre voluistis, filialem pietatem demonstrat, quae in Apostolicae Sedis obsequium vos omnes apte coniungit. Quinquagesimus autem annus ab instituto sodalitio vestro iam iam sese feliciter expleturus, illud ipse de se iubet certe sperare fore ut conventus, quem propediem habendum nuntiatis, quam qui umquam solem-

nior atque frequentior evadat. Qua ex re iusta ac secunda omnibus aeque gaudendi offertur occasio: scilicet et Nobis, quos ex summo huius Apostolatus apice, quasi de montis vertice speculantes, recreat idemque iuvat tot fidei vindices, e sodalitii vestri agmine eductos, contra gliscentes errores strenue praeliantes cernere: et vobis, qui, memoriam praeteriti temporis repetentes, egregie factorum recordatione animos suaviter erigitis, ex quo uberiorum fructuum auspicia in posterum etiam capiatis. Itaque dum inter effusas laetitias Deo, omnium bonorum auctori, de agendarum gratiarum officio cogitatis, Nostri esse ducimus promeritae laudis praeconium tribuere: idque eo libentius, quo magis antea certi exploratique erant admirationis studiique sensus, quibus Leo XIII, Noster immortalis memoriae Decessor, in coetum vestrum ferebatur: eo sollemnius, quo ex hoc Pontificii amoris testimonio in laboribus pro Ecclesia subeundis non paratiores modo, sed etiam alacriores pergetis. Neque in tanta rerum vestrarum iucunditate dedeceat domesticam Ludovici Windthorst aliorumque clarorum virorum excitare memoriam; quos patria et religio desiderant: qui conventus vestros conspectu suo diu honestarunt, eosdemque auctoritate sua sunt moderati. Neque secundum locum obtineat ipsum Leonis XIII inclitum nomen, qui sodalitium vestrum nullo non tempore fovit et auxit: qui paternae benevolentiae suae, in germanam gentem iteratae saepius, monumentum praeclarum nuper reliquit, quum civitatis istius, in quam coibitis, Antistitem egregium amplissimo Patrum Cardinalium ordini pro meritis voluit cooptandum. Communi gaudio vero, veluti cumulus omnium bonorum, quae enixe

vobis precamur a Deo, Apostolica Benedictio accedat, quam omnibus Coloniam conventuris effuso amoris animo atque in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Augusti MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LETTERA

AI DILETTI FIGLI NOSTRI
VINCENZO CARDINALE VANNUTELLI
MARIANO CARDINALE RAMPOLLA DEL TINDARO
DOMENICO CARDINALE FERRATA
GIUSEPPE CALASANZIO CARDINALE VIVES

Signori Cardinali,

Se è Nostro dovere di far tesoro in tutto dei documenti e degli esempi lasciatici dall'augusto Nostro Predecessore Leone XIII di s. m., lo dobbiamo in modo speciale in quei mezzi che riguardano l'incremento della fede e la santità del costume. — Ora il venerato Pontefice pel cinquantesimo della definizione dogmatica dell'Immacolata Concezione di Maria Santissima, aderendo al desiderio dei fedeli di tutto il mondo, che questa ricorrenza venisse celebrata con solennità straordinaria, nello scorso Maggio nominava una Commissione Cardinalizia che ordinasse e dirigesse i provvedimenti opportuni per commemorare degnamente il fausto avvenimento. Noi, compresi dai medesimi sentimenti di devozione alla SS$\overline{\text{ma}}$ Vergine, e persuasi, che nelle vicende dolorose dei tempi che corrono, non ci restano altri conforti che quelli del Cielo, e tra questi l'intercessione potente di quella

Benedetta, che fu in ogni tempo l'aiuto dei cristiani, confermiamo Voi, Signori Cardinali, a membri di questa Commissione; ben certi che le vostre sollecitudini saranno coronate dal più splendido successo, per l'opera altresì di quegli egregi i quali alle tante altre benemerenze sono ben lieti aggiungere ancor questa di mettersi in tutto a vostra disposizione per eseguire fedelmente le vostre decisioni.

Oh voglia il Signore in questo anno giubilare esaudire le preghiere, che Gl'innalzeranno i fedeli per l'intercessione di Maria Immacolata, dalla Triade augustissima chiamata a parte di tutti i misteri della misericordia e dell'amore, e costituita dispensiera di tutte le grazie!

In questa cara speranza V'impartiamo ben di cuore, Signori Cardinali, l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, li 8 Settembre 1903.

PIVS PP. X

ORAZIONE

Vergine Santissima, che piaceste al Signore e diveniste sua Madre, immacolata nel corpo e nello spirito, nella fede e nell'amore; in questo solenne giubileo della proclamazione del Dogma, che Vi annunziò al mondo universo concepita senza peccato, deh riguardate benigna ai miseri, che implorano il vostro potente patrocinio! — Il maligno serpente, contro cui fu scagliata la prima maledizione, continua purtroppo a combattere e insidiare i miseri figli di Eva. Deh Voi, o benedetta Madre nostra, nostra Regina e Avvocata, che fin dal primo istante del vostro concepimento, del nemico schiacciaste il capo, accogliete le preghiere, che uniti con Voi in un cuor solo vi scongiuriamo di presentare al trono di Dio, perchè non cediamo giammai alle insidie che ci vengono tese, così che tutti arriviamo al porto della salute, e fra tanti pericoli la Chiesa e la società cristiana cantino ancora una volta l'inno della liberazione, della vittoria e della pace. Così sia.

A quanti reciteranno la presente preghiera accordiamo per una volta a giorno l'Indulgenza di 300 giorni.

Dal Vaticano, li 8 Settembre 1903.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TIT. S. MARIAE TRANS TIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSIVM
ET LYCEI MAGNI WASHINGTONIENSIS CANCELLARIO
BALTIMORAM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae de Washingtoniensis Lycei magni fortuna, minus sane quam sit et votis laetabili, haud ita pridem significabas, magno in eadem animo curas Nostras sollicitudinemque convertimus. Vestigiis enim, ut est optimis consentaneum rebus, Decessoris Nostri, in causa praesertim gravi maximarumque utilitatum, insistentes, libuit studia Nostra, quae in illustrem Americae Academiam iamdudum fovimus, servare in Summo Apostolatus munere, atque etiam pro facultate exaugere. Quapropter iucunde admodum novimus sic esse ab episcopis laudati lycei moderatoribus provisum, ceterisque, quorum interest, probatum, ut primo quoque dominico die Adventus Sacri redeunte, aut, eiusmodi praepedito tempore, quo pro-

ximo dominico die liceat, in omnibus Foederatarum Civitatum ecclesiis symbolae ad amplificandum Washingtoniensis Academiae decus conquirantur decem per annos. Initum communiter consilium frugiferum maxime censemus, cupimusque propterea atque optamus ut in propositum Academiae bonum et universi reipublicae istius episcopi et studiosi doctrinarum relligionisque fideles omni ope contendant. Rem autem uti adiuvare gratia sua Deus benigne velit, Apostolicam Benedictionem vobis et gregibus vestris ex animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Septembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

DECRETVM

IACEN. ET CAESARAVGVSTAN.

IN REGNO HISPANICO

DISMEMBRATIONIS ET VNIONIS

PAROECIAE PRADILLA NVNCVPATAE

Intra fines Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae undique paroeciis eidem Archiepiscopali Ecclesiae subiectis circumsepta paroecia existit Pradilla nomine, quae iurisdictioni Iacensis Episcopi subest. Attentis incommodis quae ex hac rerum conditione necessario consequuntur, agi coaptum est cum Hispanico Gubernio eum in finem, ut supradicta paroecia a territorio Iacensis dioecesis distrahi posset, et Caesaraugustanae Ecclesiae Metropolitanae adiungi; cumque Hispanicum Gubernium nihil sua quod attinet obstare declaraverit quominus proposita unio fieret, tum R. P. D. Ioannes Soldevila et Romero Caesaraugustanus Archiepiscopus, tum R. P. D. Franciscus Valdés et Noriega Iacensis Antistes Apostolicae Sedi supplicarunt, ut paroecia, cui nomen Pradilla, a territorio Iacensis dioecesis Apostolica auctoritate distraheretur, et territorio Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae uniretur.

Re ad SSm̃um Dñum Nostrum Pium Papam X per me infrascriptum Sacrae Congregationis rebus consistorialibus expediendis propositae Secretarium delata, Sanctitas Sua, spirituali fidelium regimini, meliori, qua fieri potest, ratione,

consulere cupiens, omnibus matura deliberatione perpensis, ac probe noscens expostulatam separationem et unionem in animarum bonum esse cessuram, oblatas preces benigne excipere dignata est, ac de Apostolicae potestatis plenitudine paroeciam Pradilla nuncupatam cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus a territorio Episcopalis Ecclesiae Iacensis divisit et avulsit, eandemque pariter ut supra cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus territorio Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae adiunxit et univit, ita ut in posterum memorata paroecia iurisdictioni Archiepiscopi Caesaraugustani eiusque successorum sit subiecta, prout hactenus Iacensis Antistitis spirituali regimini subiecta fuit, cum clausulis solitis et consuetis, suppleto, quatenus opus est, quorumcumque hac in re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hisce autem super rebus eadem Sanctitas Sua praesens fieri iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis super praemissis expeditae fuissent, cuius executionem, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, demandavit praedicto Archiepiscopo Caesaraugustano, et Decretum ipsum referri voluit inter Acta Sacrae eiusdem Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die XV Sept., anno Domini MDCCCCIII.

† Raphaël Archiep. Nicaenvs
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Secretarius*.

DECRETVM

BELEMEN. DE PARA IN BRASILIANA REPVBLICA ERECTIONIS PRAELATVRAE NVLLIVS IN CIVITATE VVLGO SANTAREM NVNCVPATA

Romani Pontifices ea decernere nunquam omiserunt, quae rei sacrae procurationi meliori ratione disponendae et animarum saluti promovendae, iuxta temporum et locorum adiuncta, utiliora esse intellexerunt. Hinc quoties opportuna se ipsis occasio obtulit, novas erigere dioeceses atque ecclesiasticas provincias, vel, si id fuerit impossibile, alio quovis modo spirituali fidelium regimini providere curarunt, ut iidem uberiora possent et promptiora percipere subsidia, quibus indigent ad spiritualem ipsorum utilitatem. Cuius quidem Romanorum Pontificum sollicitudinis America praesertim postremis hisce temporibus innumera persensit beneficia. In hac quippe mundi parte ea est regionum amplitudo, tam subita sunt civium civilisque progressus incrementa, ut christianae vitae et propaginis centra in ea augere et multiplicare peculiari quadam ratione magis quam alibi necesse sit. Atque exinde factum est, ut defunctus Pontifex Leo f. r. PP. XIII, praedecessorum suorum vestigiis inhaerens, pluribus in variis Americae regionibus constitutis dioecesibus, statim ac cognovit peramplum territorium in Brasilianae Reipublicae septemtrionali parte prope trium Guinearum, Gallicae, Hollan-

dicae et Anglicae fines situm, atque in spiritualibus iurisdictioni Episcopi Belemensis de Para subiectum, nimis longe a civitate dioecesis principe abesse, Apostolicas suas curas in id converterit, ut rei sacrae procurationi in eodem territorio, ratione loci conditionibus magis accommodata, consuleret. Quem in finem cum R. P. D. Franciscus do Rego Maia, dioecesis Belemensis de Para Praesul, Sanctitati Suae proposuerit, ut dictum territorium, praevia eiusdem a sua dioecesi separatione, in Praelaturam Nullius constituere vellet, donec novam in eo episcopalem Sedem erigi posset, Sanctitas sua, exquisito antea, prout res tanti momenti expostulabat, Sacrae Congregationis negociis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae consilio, omnibus mature perpensis, propositam Praelaturae Nullius erectionem religioni fideliumque spirituali saluti profuturam intelligens, vota Antistitis Belemensis de Para benigne excipere dignata est, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ex certa scientia, novae Praelaturae Nullius constitutionem exequendam decrevit in eum qui sequitur modum.

I.

Primum itaque Sanctitas Sua de apostolicae potestatis plenitudine, suppleto quatenus opus sit, omnium quorumcumque hac in re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, integrum peramplum territorium, quod prope trium Guinearum, Gallicae, Hollandicae et Anglicae, fines in parte septemtrionali Brasilianae Reipublicae protenditur, cuius limites erunt infra designandi, a territorio dioe-

cesis Belemensis de Para, ad quod hactenus pertinuit, cum omnibus paroeciis, quibus constat, divisit, separavit, seiunxit, illudque, suppresso atque extincto, quatenus opus sit, cuiusque alterius quaesito iure, qui in dicto territorio spiritualem iurisdictionem postremis hisce temporibus exercuerit, donec in dioecesim constitui possit, in Praelaturam a civitate Santarem dictam, ubi novus Praelatus eiusque legitimi successores residere debebunt, Santarensem nuncupandam, erexit atque instituit, decernens ut integrum praedictum territorium in Praelaturam, ut supra, erectum, usque dum aliter de eo disponere visum non fuerit, ad omnes iuris effectus sit vere et proprie Nullius dioecesis, Sedique Apostolicae immediate subiectum.

II.

Novae huius Praelaturae Santarensis fines hi erunt: ad Meridiem ipsa flumine, quod Amazonas vocant, circumscribetur, qua ex parte idem flumen ad orientem vergit usque ad Aequatorem, adiectis insuper civitate Santarem nuncupata, quae citra flumen exurgit, nec non insulis Caviana et Mexiana; ad Ortum: ab Aequatore iuxta Oceani Atlantici oras usque ad Orangicum seu Sancti Vincentii promontorium, ea tamen parte excepta, quae circa idem promontorium Gallicae Reipublicae dominationi subiacet; ad Boream: incipiendo ab eodem promontorio nova Praelatura flumine continebitur Oyapoc seu Vicente Pinzon, uti aiunt, usque ad montes quos Acaray dicunt, iuxta fines qui Rempublicam Brasilianam a Guianis Gallica, Hollandica et Anglica separant; ad Occasum

tandem flumine Iamunda vocato circumscribetur usque dum in Amazonas flumen influit.

III.

Civitatem autem Santarem dictam, a qua, uti statutum est, nova Praelatura Nullius nuncupabitur, Sanctitas Sua in civitatem et Sedem praelaticiam erigere dignata est, eidemque honores, praerogativas, privilegia et iura omnia concedere, quibus civitates in Brasiliana Republica existentes pontificali Sede insignitae earumque cives fruuntur et gaudent.

IV.

Ecclesiam parochialem honori B. Mariae Virginis sine labe conceptae in civitate Santarensi dicatam Beatitudo Sua in Ecclesiam praelaticiam sub eadem B. M. V. sine labe conceptae invocatione parochialem uti antea exstituram constituit, et in ea sedem et dignitatem praelaticiam ad instar episcopalis dignitatis erexit et instituit pro uno Praelato Santarensi vocando, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et Praelaturae praesit, et iura omnia, officia et munia habeat et exerceat cum suis mensa et Capitulo, iisdemque honoribus et praerogativis, quibus Praesules cathedralium Ecclesiarum in Brasiliana Republica utuntur et gaudent, iis tantum exceptis, quae titulo oneroso aut ex indulto peculiari fuerint acquisita, aliisque, quae de iure privative ad Episcopos pertineant, atque expresse hoc in decreto non concedantur.

V.

Ut vero constitutus Santarensis Praelatus in suae Praelaturae territorio omnes sui ministerii partes, prout fidelium necessitates expostulant, plene explere possit ac valeat, atque munera omnia obire, quae Episcopi in suis dioecesibus, maxime cum nova haec Praelatura Nullius in episcopalem Sedem, cum primum fieri poterit, sit erigenda; voluit Sanctitas Sua ut Santarensis Praelatus charactere et dignitate episcopali sit insignitus; eidem proinde una cum Praelatura titulus episcopalis ex Pontificis dispositione erit necessario conferendus.

VI.

Santarensis Praelatus, ita episcopali dignitate auctus, in suae Praelaturae territorio et supra personas in eo degentes ex Apostolico privilegio eandem tum ordinis tum iurisdictionis exercebit potestatem, quam Episcopi in suis dioecesibus, ideoque ipsi ex indulto peculiari fas erit omnes ordines tam minores quam maiores suis subditis conferre, dimissoriales litteras ad ordines suscipiendos concedere, dioecesanam synodum celebrare atque concursum indicere ad parochiales Ecclesias, quae omnia sacri canones quominus a Praelatis Episcopo inferioribus, Nullius licet dioecesis, fiant, vetant. Sicut autem iisdem ac Episcopi iuribus fruetur, ita iisdem adstringetur officiis et legibus, residentiae praesertim ac suae Praelaturae visitationis.

VII.

Cum autem omnino necessarium sit, ut congruis proventibus et reditibus dotationi novae huius Praelaturae consulatur, Sanctitas Sua pro Praelati mensa, Capituli et Clericorum Seminarii dote ac divini cultus expensis reditus et bona assignat et attribuit, quibus parochialis Ecclesia sub invocatione B. M. V. sine labe conceptae in civitate Santarensi existens, nunc ad honorem et dignitatem Ecclesiae praelaticiae evecta, potitur, ac fideles impense hortatur, ut ipsi, quorum utilitati Santarensis Praelaturae erectio decreta est, suis oblationibus opportuna conferant subsidia, quibus praedictis necessitatibus occurri possit, ad honorandum Deum de sua substantia, apud quem magnam sibi gratiam et copiosam mercedem comparabunt.

VIII.

Mandat praeterea Sanctitas Sua Santarensis Praelati sollicitudini, ut praelaticiae Ecclesiae Capitulum iuxta canonicas sanctiones, cum primum fieri poterit, erigendum curet, servato canonicorum numero, servatis iisdem dignitatibus, quibus Capitula Cathedralium Ecclesiarum in Republica Brasiliana existentium constant. Interea, donec praedictum Capitulum constitutum fuerit, Praelatus in maioribus suae Praelaturae negociis consilium sibi assumet ex prudentibus et probatis viris, itemque ad animarum curam in Ecclesia praelaticia exercendam, servatis de iure servandis, vicarium deputabit,

cui ex reditibus eiusdem praelaticiae Ecclesiae, mensae Praelati assignatis, congruam attribuet portionem pro eius sustentatione.

IX.

Dignitatibus et Canonicis nec non Clero Ecclesiae praelaticiae Santarensis Sanctitas Sua onera eadem imponit, quibus dignitates et Canonici Capitulorum Cathedralium in Brasiliana Republica satisfacere tenentur, cum iisdem iuribus, privilegiis et insignibus, dummodo ex indulto peculiari aut titulo oneroso acquisita non fuerint.

X.

Ubi primum Capitulum constitutum fuerit, eorundem Canonicorum erit capitularia statuta, ordinationes et decreta iuxta sacrorum canonum et praecipue Tridentini Concilii praescriptiones conficere, quae tamen Episcopi praelati cognitioni et approbationi erunt subiicienda, ut exinde vim legis habere possint ac valeant. Eadem namque veneratione et obsequio Capitulares Ecclesiae praelaticiae suum Praelatum prosequi tenentur, quo Canonici cathedralium Ecclesiarum in dioecesibus suum Episcopum.

XI.

Dignitatum et Canonicatuum collatio fiet servatis de iure servandis iuxta canonicas sanctiones, sartis tectisque decretis Plenarii Concilii Latini Americani, eorumque declarationibus

authenticis a Sacra Congregatione negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae editis, nec non Cancellariae Apostolicae legibus.

XII.

Clericorum pariter Seminarium, quo citius fieri possit, ad normam et iuxta Sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta, erit erigendum, in quo excipiantur clerici, quos Santarensis Praelatus ex necessitate et utilitate Praelaturae admittendos esse censuerit. Et quoniam adest in Urbe Seminarium Pio-Latino-Americanum, in quo praeclari Evangelii praecones et animarum rectores ipsis sub oculis Romanorum Pontificum exculti sunt et excoluntur, praecipit Sanctitas Sua ut quemadmodum ab aliis Americae Latinae dioecesibus, ita etiam a neo-erecta Praelatura Santarensi bini in eo non intermissa vice collocentur adolescentes in Ecclesiae spem alendi.

XIII.

Statuit quoque Beatitudo Sua, ut omnia et singula documenta respicientia paroecias et loca, quae novae Praelaturae Santarensi iuxta hoc consistoriale decretum addicta et attributa sunt, quaeque actu in episcopalis Ecclesiae Belemensis de Para Cancellaria asservata reperiuntur, ab ea extrahantur, et Cancellariae neo-erectae Praelaturae Nullius tradantur, atque in ea in perpetuum conserventur.

XIV.

In hac nova Praelatura erigenda et finibus supra descriptis eidem attribuendis expresse Sibi et Apostolicae Sedi Sanctitas Sua facultatem reservavit dismembrationes quascumque, seu novam ipsius Praelaturae circumscriptionem libere decernendi, quandocumque id in Domino expedire visum fuerit, quin ullum in id Antistitis et Capituli praelaticiae Ecclesiae assensum exquiri aut territorialem ullam compensationem assignari aut attribui opus sit.

XV.

Ea autem omnia, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, quorum expressa mentio in hoc consistoriali Decreto facta non est, vult Sanctitas Sua ut firma et rata iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae disciplinam maneant; si qua tamen difficultas aut controversia quoad praemissa in noviter erecta Praelatura Nullius oritura sit, ad Apostolicam Sedem deferenda erit, quae rebus accurate perpensis, prout de iure decernet.

XVI.

Ut autem omnia quae in hoc consistoriali decreto ex defuncti Pontificis mandato constituta sunt, feliciter ad exitum perducantur, SSmus D. N. Pius PP. X, ea rata habens, ad decretum ipsum exequendum deputare dignatus est R.

P. D. Iulium Tonti, Archiepiscopum titularem Ancyranum, in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, nec non definitive pronuntiandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione ad Apostolicam Sedem intra sex menses mittendi exemplar authentica forma exaratum actorum omnium, quae ad explendam commissam executionem erunt emittenda.

XVII.

Attentis temporum et locorum adiunctis, placuit Sanctitati Suae novam Praelaturam Nullius in florenos auri de camera triginta tres cum tertia floreni parte taxari, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi iussit.

XVIII.

Hisce autem super rebus Beatitudo Sua praesens edi iussit consistoriale decretum, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo super praemissis expeditae fuissent, et decretum ipsum referri mandavit inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die XXI Sept., anno Domini MDCCCCIII.

† RAPHAËL ARCHIEP. NICAENVS
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Secretarius.*

DECRETVM

SANCTI HIPPOLYTI ET LINCIEN.

DISMEMBRATIONIS ET VNIONIS ALIQVARVM DOMORVM

Apostolicae Sedi litteris die xxi Aprilis hoc anno datis, retulerunt R. P. D. Ioannes Roessler, dioecesis S. Hippolyti Episcopus, et R. P. D. Franciscus Salesius Doppelbauer, Linciensis episcopalis Ecclesiae Praesul, aliquarum domorum incolas et possessores, septem numero, quorum nomina sunt Georgius Panhuber, Thomas Wirleitnez, Franciscus Marck, David Seyerlehner, Florianus Eichinger, Iosephus Dürnberger, Leopoldus Eisenriegler, omnes ex paroecia Sancti Petri, dioecesis S. Hippolyti, priore tantum excepto, qui intra fines parochialis Ecclesiae a S. Michaële nuncupatae eiusdem dioecesis Sancti Hippoliti commoratur, enixis precibus a se expostulasse ut ipsorum domus cum adnexis terrulis a memoratis paroeciis dioecesis S. Hippolyti separarentur, et territorio parochialis ecclesiae loci Neustift vocati Linciensis dioecesis, utpote proximioris, adnecterentur. Hanc vero unionem praedicti Antistites a civilibus Moderatoribus Austriae tum superioris, tum inferioris, in quarum finibus enumeratae domus existunt, approbatam renuntiarunt, eamque peropportunam asseruerunt, ideoque dignam quae ab Apostolica Sede decernatur; filii enim dictorum virorum ex civilis auctoritatis man-

dato scholas loci Neustift, cui uniri volunt, adire tenentur, et insuper infirmi, qui in dictis domibus commorantur, in extremis constituti, mutuo parochorum consensu iam ex antiquis temporibus sacramenta ex parochiali Ecclesia eiusdem oppidi Neustift recipere solent. Re ad SSm̃um Dominum Nostrum Pium PP. X per me infrascriptum Sacrae Congregationis rebus consistorialibus expediendis praepositae Secretarium delata, Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis, cuncta, quae in spirituale animarum bonum cessura intelliguntur, decernere cupiens, attentis expositis, vota praedictorum Episcoporum benigne excipere dignata est, ac de apostolicae potestatis plenitudine, domus ad supra numeratos viros actu pertinentes cum terrulis adnexis omnibusque in ipsis commorantibus a territorio dioecesis S. Hippolyti divisit ac seiunxit, easdemque, ut supra cum adnexis terrulis et incolis in perpetuum territorio paroeciae loci Neustift vulgo nuncupati intra fines Linciensis Episcopalis Ecclesiae univit et aggregavit; ita ut in posterum dictae domus earumque incolae iurisdictioni Linciensis Praesulis sint subiecti, prout hactenus iurisdictioni Episcopi dioecesis S. Hippolyti subiecti fuerunt, cum clausulis solitis et consuetis, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Hisce autem super rebus eadem Sanctitas Sua praesens edi mandavit decretum consistoriale perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae super praemissis in forma Brevis expeditae fuissent, cuius executionem committi voluit R. P. D. Francisco Salesio Doppelbauer, Linciensi Antistiti, cum facultatibus

necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, ac decretum ipsum referri iussit inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die x Octobris MDCCCCIII.

† Raphaël Archiep. Nicaenvs
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Secretarius.*

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
FRANCISCO ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSIVM
CETERISQVE EPISCOPIS ANGLIAE

WESTMONASTERIVM

—

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sanctorum parentis Angliae, cuius gloriosam cum Romana Cathedra coniunctionem ac parta per id beneficia communibus litteris repetebatis, sinceram vos ingenuamque permanere sobolem demonstrastis, quum virtutis observantiaeque sensus, qui maximi esse possent, in Personam Nostram, Pontificatus Summi dignitate auctam, aperire studuistis. Atque quidem cultus obsequiumque tam gratum expectationem animi Nostri plane sustinuit, quippe quos certa tenebat spes non fore ab iis argumenta voluntatis amorisque desideranda, qui cum sanctissimis vetustisque Angliae sacrae Patribus praecipua quadam ac peculiari omnino fidelitatis laude sociarentur. Et quoniam gratae mentis ergo verba haec prima ad Angliae Episcopos facimus, gratulari vobis in ipso Pontificatus limine placet, e quibus tanta catholicis universis

exempla profitendae amplificandaeque fidei proficiscuntur. Qua quidem in re, si strenue pro Ecclesia certantes illa vos gaudia defugiunt, quae ad fluxa ornamenta saeculi pertinent, at haec certe vos gloria manet, eandem in vobis vim animi inesse, quae in fortissimis fidei vestrae praeconibus enituit. Vobis igitur egregiam Sedi huic Principi operam navantibus vehementer laetamur, nihilque in praesentiarum ambigimus fore ut maiora in dies e curis vestris solatia animo Nostro comparentur. Horum autem effectricem bonorum caelestiumque munerum auspicem Apostolicam Benedictionem, caritatis Nostrae testem, unicuique vestrum peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Octobris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IOANNI GROSOLI, COMITI
EIDEMQUE PRAESIDI VNDEVICESIMI CONVENTVS
CATHOLICORVM ITALIAE
BONONIAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Instaurandum in Christo genus humanum spectantibus, id Nobis vehementer laetabile contingit ut conventus catholicorum Italiae vel in ipsis Nostri Pontificatus exordiis agatur. Si enim restituendae confirmandaeque christianae vitae illud est aptissimum aetati nostrae praesidium catholicam actionem fovere, causam procul dubio sperandarum utilitatum uberrimam inesse in praesenti coetu arbitramur. Expectatione tanta erecti, praecipua quadam iucunditate te ac viros claros universos, qui tibi operam navant, merita laude honestamus, quod suscepta a Nobis atque a Decessore Nostro consilia executioni mandare adnitamini. Esse tamen in praesentia censemus in quo industriam vestram evigilare maxime edicamus, ne diuturnae Pontificum atque Episcopo-

rum curae sine fructu cedant. Concordiam dicimus omnium, quotquot sunt in Italia rei catholicae dediti, viriumque catholici nominis exoptatam tantopere coniunctionem. Nam praesens congressus, si debet aliquid commodi catholicae actioni comparare, comparabit autem gravitate ac fidelitate vestra plurimum, id tandem re atque opere efficiat oportet, quod communi antea desiderio continebatur, ut, scilicet, abiectis suspicionibus, depulso opinionum studio, clareque quae sint sequenda perspectis, animum inducant omnes concordiam plenam tam in agendo quam in scriptis edendis amplecti, singulorumque sodaliciorum coniunctionem in ipso egregio coetu firmare, qui a Congressibus catholicis Italiae nuncupatur. Hos tales duces, quorum perspicuus patet spiritus, fideli animo vos sequi debetis, qui ad catholicae incrementa rei contenditis unice: neque enim novam, ab iis qui praesunt, gerendorum rationem ac viam quis expetat iure, quum quaestioni sociali sapienter fuerit provisum per Encyclicas Litteras *Rerum Novarum,* catholicae vero actioni perspectum item sit per Litteras *Graves de communi,* ac per documenta, quae hac de re, authenticae interpretationis causa, edenda existimavit S. Congregatio Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praeposita. Eiusmodi gravissima doctrinae capita exequi, atque a sententiis per Apostolicam Sedem et per Venerabiles Fratres Nostros Episcopos declaratis nullo pacto discedere necesse est. Quod si auctoritate praecipientibus parendum est ex officio, aequum tamen et consentaneum censebitis incensos agendi studio iuvenes iis etiam debitam observantiam tribuere, qui non aetate minus quam usu rerum praelucere ceteris possint. Velitis igitur alacres atque pruden-

tes ad huius opera conventus incumbere, id sine dubitatione rati singulares plane utilitates quum ad sacra tum ad civilia e virtute vestra expectari.

Auspicem divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem tibi atque iis omnibus, qui in coetu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Novembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO
DIE IX NOVEMBRIS ANNO MDCCCCIII

VENERABILES FRATRES

Primum vos hodierna die ex hoc loco Nobis alloquentibus, illud ante omnia occurrit animo, attingere oportere factum proximo tempore, quum delatam per vestra suffragia Apostolici fastigii dignitatem declinare obtestando conati sumus. Etenim nolumus, id Nos fecisse ob eam rem arbitremini, quod aut parum voluntatis vestrae significatio honestissimumque de Nobis iudicium moveret, aut pigeret etiam laborare amplius Ecclesiae causâ, cui quidem aetatem omnem animamque devotam haberemus. Verum quum explorata Nobis esset sive inopia virtutis Nostrae sive exiguitas ingenii, quumque simul constaret, quae quantaque a Pontifice romano essent iure expectanda, quid mirum si tanto sustinendo muneri Nos ipsos plane impares fore videbamus? Profecto evangelica curare ut vulgo serventur praescripta, rite custodiantur consilia; sarta tecta Ecclesiae praestare iura; multiplices maximasque diiudicare causas, quae de societate domestica, de institutione adolescentis aetatis, de iure et proprietate exti-

terint; perturbatos civitatis ordines ad christianam aequabilitatem componere; brevi, terras expiando caelis comparare cives: hae, inquimus, similesque Apostolici officii partes maiores eae quidem videbantur quam ut his viribus expleri digne possent. — Accedebat, id quod in Encyclicis Litteris proxime significavimus, ut excipiendus locus eius esset Pontificis, cuius et studium in religione amplificanda fovendoque multipliciter pietatis cultu, et sapientia in profligandis erroribus horum temporum, doctrinaeque vitaeque christianae integritate publice privatim revocanda, et providentia in relevanda humilium inopumque fortuna atque incommodis civilis societatis opportune subveniendo, sic eluxere, ut humani generis immortalem ei cum admiratione gratiam pepererint. Quem non deterreret haec tanta excellentia et magnitudo viri ab ista tamquam hereditate adeunda muneris? Nos certe, tenuitatem Nostram reputantes, deterrebat vel maxime.

At quoniam arcanae Dei voluntati visum est, supremi Apostolatus Nobis onus imponere, id equidem, ipsius ope auxilioque unice confisi, feremus. Quantum autem est in Nobis, certum destinatumque est, omnes curas cogitationesque illuc conferre ut sancte inviolateque servemus *depositum* fidei, et sempiternae omnium saluti consulamus; eiusque rei gratiâ nihil quidquam aut laborum aut molestiarum unquam defugere. — Quum vero necesse sit christianaeque rei publicae quam maxime intersit, Pontificem in Ecclesia gubernanda et esse et apparere liberum nullique obnoxium potestati, ideo, quod conscientia officii, simulque iurisiurandi quo obstringimur, sacrosancta religio postulat, gravissimam in hoc genere iniuriam Ecclesiae illatam conquerimur.

Porro ea Nos magnopere cogitatio recreat, in perfunctione tam gravi tamque difficili ministerii huius praeclaro Nobis adiumento vestram, Venerabiles Fratres, et prudentiam et navitatem fore. Siquidem ob eam praecipue causam adesse Nobis, divino munere beneficioque, Collegium vestrum novimus, ut administrationem Ecclesiae universae, consilia operamque conferendo, utilissime adiuvet. Quocirca dicere vix attinet, illud Nos solemne habituros, in omni rerum cursu, praesertim si qua causa gravior inciderit, iudicii sollertiaeque vestrae subsidium expetere; idque eo etiam, ut pro sua quisque parte immensum officii onus, quo premimur, sustineatis. Quippe res agitur ea, quae praeter haec fluxa bona ad immortalia pertineat; nullis locorum inclusa finibus, orbis terrarum rationes complectatur; evangelicorum reverentiam praeceptorum in omni tueatur genere; denique curas Nostras non ad fideles modo, sed ad homines afferat universos, *pro quibus mortuus est Christus.*

Itaque mirari licet, esse complures, qui novarum rerum cupidine, ut est aetatis ingenium, coniicere laborent, quae Nostra gerendi pontificatus ratio futura sit. Quasi vero investigatione res egeat, aut planum non sit, Nos eam ipsam insistere velle, nec aliam posse viam, quam decessores Nostri usque adhuc instititerint. *Instaurare omnia in Christo,* hoc ediximus Nobis esse propositum: et quoniam *Christus est veritas,* idcirco obeundum Nobis est in primis magisterium et praeconium veritatis. Hinc simplex, dilucidus sermo Iesu Christi et efficax perpetuo, curabimus, dimanet ex ore Nostro, alteque inculcetur animis, sancte custodiendus; quam quidem custodiam Ipse adiumentum dignoscendae veritatis voluit esse

maximum: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* [1].

Pro munere autem tuendae veritatis christianaeque legis, Nostrum necessitate erit: notiones illustrare et asserere maximarum rerum, sive naturâ informatas, sive divinitus traditas, quas nunc obscuratas passim atque obliteratas videmus; disciplinae, potestatis, iustitiae aequitatisque, quae convelluntur hodie, principia firmare; universos singulos, neque solum qui parent, sed et qui imperant, utpote omnes eodem prognatos Patre, in privata publicaque vita, in genere etiam sociali et politico ad honestatis normam regulamque dirigere. — Utique intelligimus nonnullis offensioni fore, quod dicimus, curare Nos rem etiam politicam oportere. Verum quisque aequus rerum iudex videt, Pontificem a magisterio, quod gerit, fidei morumque nequaquam posse politicorum genus diiungere. Praeterea caput quum sit rectorque summus perfectae societatis, quae est Ecclesia, ex hominibus coalescentis, inter homines constitutae, profecto velle debet, cum principibus civitatum et gubernatoribus rei publicae mutua sibi officia intercedere, si catholicorum in omni ora ac parte terrarum velit et securitati et libertati esse consultum.

Insitum quidem est homini, ut veritatem sitienter appetat, oblatamque amplexetur amanter et retineat. Sed tamen vitio naturae fit, ut nimis multi nihil oderint peius, quam denuntiationem veritatis, utpote quae errores ipsorum nudet cupiditatesve coërceat. Horum omnium convicia minaeque Nos minime commovebunt; sustentamur quippe admonitione

[1] Ioan. VIII, 31-32.

illa Iesu Christi: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*[1]. Ceterum illa, de quibus quotidie veritatem catholicam invidiose criminantur, quod libertatem impediat, quod scientiae officiat, quod humanitatis progressiones retardet, num disserere opus est quam sint plena falsitatis? — Enimvero infinitam sentiendi agendique licentiam, cui nullius auctoritatis nomen nec divinae nec humanae sit sanctum, nulla sint intacta iura, quaeque, ordinis disciplinaeque fundamenta convellens, in exitium rapiat civitates, damnat eam quidem Ecclesia cohibendamque severe censet; sed istud corruptio libertatis est, libertas veri nominis non est. Sinceram autem germanamque libertatem, qua nempe cuique liceat, quod aequum iustumque sit, facere, tantum abest ut Ecclesia compescat, ut expeditissimam debere esse semper contenderit. — Nec minus distat a vero quod aiunt, obsistere scientiae fidem: quum contra verissimum sit, prodesse etiam, nec ita parum. Praeter enim ea quae sunt supra naturam, de quibus nulla potest esse homini sine fide cognitio, multae res sunt eaeque maximae in ipso naturae ordine, quas quidem sibi pervias habeat humana ratio, sed, fidei aucta lumine, multo certius clariusque percipiat: in ceteris autem vera veris pugnantia facere, quando utrumque genus ab uno eodemque capite et fonte, Deo nimirum, proficiscitur, absurdum est. — Ita vel ingeniorum inventa, vel experientiae reperta, vel incrementa disciplinarum, quaecumque demum actionem vitae mortalis provehunt in melius, quid est causae cur Nobis, qui catholicae veritatis custodes sumus, non probentur? Imo est

[1] Ioann. xv, 18.

quare fovenda etiam, Decessorum exemplo, videantur. At vero recentioris philosophiae, civilisque prudentiae decreta, quibus hodie humanarum rerum cursus eo impellitur, quo legis aeternae praescripta non sinunt, ea Nos refellere et redarguere, memores Apostolici officii, debemus. In quo quidem non humanitatem remoramur progredientem, sed ne ad interitum ruat prohibemus.

At enim, necessarium aggressi pro veritate certamen, inimicos hostesque veritatis, quorum vehementer miseret, amantissime complectimur, divinaeque benignitati cum lacrimis commendamus. Nam si, quae vera iusta recta sunt probare et tueri, quae falsa iniusta prava detestari et reiicere, lex est sanctissima romani pontificatus; non minus est, misericordiam veniamque dilargiri peccantibus, idque ad similitudinem Auctoris sui, qui *pro transgressoribus rogavit.* Siquidem Deus, qui *erat in Christo mundum reconcilians sibi,* per Pontifices romanos potissime, ut Vicarios Filii sui, prorogari in aevum voluit *ministerium reconciliationis*, quae propterea ab eorum esset auctoritate iudicioque requirenda. Autumare igitur reconciliandam esse Nobis cum quopiam gratiam, esset id quidem iniuriose et perverse iudicantium de munere officioque Nostro, quo ipso debemus paternam erga omnes gerere voluntatem.

Equidem non confidimus, quod decessores Nostri nequivere, assequi Nos posse, ut late fusos errores iniustitiamque omnem vincat usquequaque veritas; in id tamen summa contentione, ut diximus, nitemur. Quod si vota Nostra non sunt plene eventura, illud certe, Deo dante, fiet ut imperium veritatis et in bonis constabiliatur, et ad alios complures, non male animatos, propagetur.

Nunc vero iucundum est, animum adiicere ad amplissimum Collegium vestrum, Venerabiles Fratres, supplendum; cuius honore afficere hodie duos lectos viros decrevimus. Alter, vestris ipsorum testimoniis per interregnum ornatus, praestantem animi et ingenii indolem, paremque gerendarum rerum prudentiam paucis hisce mensibus Nobis egregie probavit. Alterius eximia pietatis doctrinaeque ornamenta, et in diuturna episcopalis procuratione muneris absolutam numeris omnibus diligentiam iamdiu Ipsi habemus exploratissima. Ii autem sunt:

Raphaël Merry del Val, Archiepiscopus Tit. Nicaenus,

Iosephvs Callegari, Episcopus Patavinus.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Raphaëlem Merry del Val,
Iosephvm Callegari.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

DECRETVM

EPISCOPALIS ECCLESIAE
DE MIXTECAS IN MEXICANA REPVBLICA
NOVAE DENOMINATIONIS

Litteris Apostolicis sub plumbo, quarum initium « Apostolica Sedes » die XVII Martii hoc anno editis, aliquibus dismembratis regionibus, seu uti vulgo dicitur *Foranie* tum a territorio Metropolitanae Ecclesiae de Antequera tum a territorio dioecesis Tlascalensis seu Angelorum, ad Archidioecesis dignitatem nunc evectae, nova ex iisdem constituta fuit Episcopalis Ecclesia, cui ex denominatione provinciae seu comarchae, in qua erecta est, nomen impositum fuit « de Mixtecas ». Visum autem est nomen hoc ad novam dioecesim significandam iustis de caussis minus aptum esse, ipsamque potius ex nomine civitatis episcopalis Huajuapam de Leon vulgo dictae, quam ex nomine provinciae, ex qua constituitur, esse nuncupandam.

Re itaque ad Ssmum Dñum Nostrum Pium Papam X delata, Sanctitas Sua, omnibus matura deliberatione perpensis, suppresso, auctoritate apostolica, veteri nomine, « de Mixtecas », quo hactenus neo-erecta dioecesis iuxta memoratas Apostolicas Litteras denominanda erat, eandem in posterum « Huajuapamensem a Leone » ex nomine civitatis Episcopalis esse nuncupandam statuit, mandavitque praesens

in hanc rem edi Decretum Consistoriale, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis super praemissis expeditae fuissent, cuius executionem cum facultatibus opportunis et necessariis, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, committi voluit R. P. D. Prospero Iosepho Mariae Alarcon, Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae Antistiti, qui iam praedictas Apostolicas Litteras de erectione novae dioecesis executioni mandavit, iniuncta eidem obligatione intra tres menses mittendi ad Sacram hanc Congregationem exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, et Decretum ipsum inter Acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis asservari iussit.

Datum Romae hac die XIII Nov. anno Domini MDCCCCIII.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

DECRETVM

DE CLERICIS IN AMERICAM
ET AD INSVLAS PHILIPPINAS PROFECTVRIS

Clericos peregrinos, a remotis transmarinis oris venientes, iuxta veterum Patrum statuta et canonicas sanctiones *tit. 22, lib. I Decret.* ipsasque prudentiae regulas, nonnisi caute ad sacri ministerii exercitium esse admittendos, neminem profecto latet. Nam propter distantiam et dissimilitudinem locorum, de personis earumque qualitatibus ac de valore documentorum, quae ab advenis exhibentur, iustum iudicium tute expediteque fieri saepe difficile est; fraus ac dolus (teste experientia) aliquando subrepunt; unde periculum passim imminet, ne indigni ac nequam viri super gregem fidelium constituantur cum gravissima divinae maiestatis offensa et rei christianae iactura.

Ad haec arcenda discrimina S. Concilii Congregatio, de speciali mandato Ssm̃i D. N. Leonis XIII, circularibus litteris ad Italiae et Americae Ordinarios die 27 mensis Iulii 1890 datis, legem tulit, qua Italorum sacerdotum migrationem in Americam certis regulis contineret.

Huiusmodi regulae hae sunt:

« *1)* In futurum prohibentur omnino Italiae Episcopi et Ordinarii concedere suis presbyteris e clero saeculari litteras discessoriales ad emigrandum in regiones Americae.

« *2)* Exceptio tantummodo admitti poterit, onerata Episcopi conscientia, pro aliquo eius dioecesano sacerdote maturae aetatis, sufficienti sacra scientia praedito, et vere iustam afferente emigrationis causam; qui tamen, bonum testimonium habens intemeratae vitae in operibus sacri ministerii cum laude spiritus ecclesiastici et studii salutis animarum hactenus peractae, solidam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ac populos ad quos transire postulat, nec non moralem certitudinem praestet, nunquam a se maculatum iri sacerdotalem dignitatem exercitatione vulgarium artium et negotiationum.

« *3)* Sed in huiusmodi casu idem Italus Episcopus et Ordinarius, omnibus rite perpensis et probatis, rem, absque sacerdotis postulantis interventu, agat cum ipso Ordinario Americano, ad cuius dioecesim ille transire cupit, et habita ab ipso Americano Ordinario eiusdem sacerdotis formali acceptatione una cum promissione eum ad aliquod ministerii ecelesiastici munus deputandi, de omnibus et singulis ad memoratam S. Congregationem Concilii referat. Quae si tamen assentiatur, tunc poterit Episcopus discessorias litteras concedere, communicando cum Americano Antistite per secretam epistolam, nisi ei iam cognitae sint, notas emigrantis sacerdotis proprias, ad impediendas fraudes circa subiecti identitatem.

« Ex ea dioecesi ad aliam in America eidem sacerdoti emigrare ne liceat absque nova sacrae Congregationis licentia.

« *4)* Excluduntur in quavis hypothesi presbyteri ritus orientalis.

« *5)* Quod si non agatur de emigratione, sed de alio Italiae sacerdote, qui ob suas peculiares honestas ac temporaneas causas pergere velit ad Americae partes, satis erit ut proprius Ordinarius, his perspectis, ac dummodo de cetero nihil obstet, eum muniat in scriptis sua licentia ad tempus (unius anni limitem non excedens), in qua ipsae abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis expleto constituto tempore, nisi eius legitimam prorogationem obtinuerit.

« *6)* Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americas ii sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio ».

Hac lege, noxia plura remota et sublata fuerunt, non tamen omnia, neque ex toto. Experientia enim docuit, ex praepostera art. 5 superius recensiti interpretatione salutaris illius legis effectum saepenumero fuisse frustratum. Praeterea constitit, nedum ex Italia, sed ex aliis quoque Europae regionibus nimiam esse, quandoque etiam perniciosam, sacerdotum migrationem in Americam, et ad insulas Philippinas.

Quare Emi S. C. Patres, plurium Episcoporum relationibus rite, uti par erat, inspectis, eorundem Episcoporum votis obsecundantes, rebus omnibus mature perpensis, censuerunt latius atque uberius esse hac de re providendum nova generali lege, quae his capitibus continetur:

I. Pro Italiae clericis, firmis dispositionibus contentis in circularibus litteris diei 27 mensis Iulii 1890 sub numeris 1, 2, 3, 4 et 6, Ordinariorum omnium tam Italiae quam Americae conscientia super plena earum observantia graviter oneratur.

Facultas vero sub num. 5 concessa circumscribitur ad causam strictae et urgentis necessitatis, ut e. g. pro gravi infirmitate alicuius in America degentis, quem christiana caritas aut pietatis officium invisere exigant, neque tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem. Sed in hoc et similibus adiunctis causa urgentis necessitatis in discessoriis litteris clare ac determinate exprimenda erit, absentiae tempus ad sex menses circumscribendum, et de re statim edocenda S. Concilii Congregatio.

II. Extra Italiam vero, in posterum ne liceat Europae Ordinariis discessoriales pro America suis Clericis largiri, nisi requisito prius consensu Episcopi dioecesis illius, ad quam sacerdos pergere cupit, permutatis ad hunc finem secretis litteris, in quibus de aetate et de moralibus atque intellectualibus qualitatibus migrantis sacerdotis Americanus Praesul doceatur.

Excipitur tamen casus strictae et urgentis necessitatis, in quo, pari modo ac supra, licentia a proprio Ordinario concedi poterit, sed ad sex menses tantum valitura, adnotata causa urgentis necessitatis, et monito per epistolam Episcopo loci, ad quem sacerdos proficiscitur.

Quoad Sacerdotes vero Orientalis ritus, serventur dispositiones datae a S. C. de Fide Propaganda litteris diei 12 Aprilis 1894.

III. Pro migraturis denique ex qualibet orbis parte ad Philippinas insulas, eaedem leges ac normae serventur ac pro Italis sacerdotibus ad Americam pergentibus, hac tamen differentia, ut pro Europae aliarumque regionum sacerdotibus venia expetenda sit a S. Congregatione Concilii; pro

Americae vero septentrionalis sacerdotibus, a delegatione Apostolica Washingtoniae.

Itaque in posterum discessoriae litterae pro clericis in Americam et ad insulas Philippinas migraturis conficiantur in forma specifica iuxta regulas superius statutas: et aliter factae nullius valoris sint, et qua tales ab Ordinariis illarum dioeceseon aestimentur.

Facta autem de his omnibus relatione Ssmo D. N. Pio PP. X in audientia diei 17 Septembris p. p. ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua decreta Emorum Patrum confirmavit, per circulares S. C. litteras publicari, et ab omnibus rite observari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii, die XIV Novembris MDCCCCIII.

† VINCENTIVS Card. Episcopus Praenestinus,
Praefectus.

C. De Lai, *Secretarius.*

LETTERA

AL SIGNOR CARDINALE RESPIGHI
VICARIO GENERALE DI ROMA
SULLA RESTAURAZIONE DELLA MUSICA SACRA

Signor Cardinale,

Il desiderio di veder rifiorire in ogni luogo il decoro e la dignità e santità delle funzioni liturgiche Ci ha determinato di far conoscere con un Nostro particolare Chirografo quale sia la volontà Nostra rispetto alla musica sacra, che sì largamente si adopera a servigio del culto. Nutriamo fiducia che tutti Ci asseconderanno in questa desiderata restaurazione, nè già solamente con quella cieca sommessione, pur sempre lodevole anch'essa, onde si accettano per puro spirito di obbedienza i comandi onerosi e contrarî al proprio modo di pensare e sentire, sì bene con quella prontezza di volontà, che nasce dall'intima persuasione di dover così fare per ragioni debitamente apprese, chiare, evidenti, irrepugnabili.

Per poco infatti che si rifletta al fine santissimo, per cui l'arte è ammessa a servigio del culto, e alla somma convenienza di non offrire al Signore, se non cose per sè buone, e dove torni possibile, eccellenti, si riconoscerà subito, che le prescrizioni della Chiesa a riguardo della musica sacra

non sono che l'immediata applicazione di quei due principî fondamentali. Quando il clero ed i maestri di cappella ne siano penetrati, la buona musica sacra rifiorisce spontaneamente, come si è osservato e di continuo si osserva in gran numero di luoghi; quando invece quei principî si trascurano, non bastano nè preghiere, nè ammonizioni, nè ordini severi e ripetuti, nè minacce di pene canoniche a far sì, che nulla si cangi: tanto la passione, e, se non questo, una vergognosa ed inescusabile ignoranza trova modo di eludere la volontà della Chiesa e di continuare per anni ed anni nel medesimo biasimevole stato di cose.

Tale prontezza di volontà Ci promettiamo in modo particolarissimo dal clero e dai fedeli di questa Nostra diletta Città di Roma, centro del cristianesimo e sede della suprema Autorità della Chiesa. Sembra invero che niuno dovrebbe sentir meglio l'influsso della Nostra parola, quanto coloro che direttamente l'ascoltano dalla bocca Nostra, e che l'esempio di amorosa e filiale sommessione ai Nostri inviti paterni da niun altro dovrebbe esser dato con maggiore sollecitudine, quanto dalla prima e più nobile porzione del gregge di Cristo, che è la Chiesa di Roma, specialmente commessa alla Nostra cura pastorale di Vescovo. S'aggiunga che tale esempio dev'essere dato al cospetto del mondo tutto. Da ogni parte qua vengono continuamente e vescovi e fedeli per riverire il Vicario di Cristo e per ritemprare lo spirito, visitando le nostre venerande basiliche e le tombe dei Martiri, ed assistendo con raddoppiato fervore alle solennità, che con ogni pompa e splendore qui si celebrano in ogni tempo dell'anno. « *Optamus, ne moribus nostris offensi recedant* »,

diceva fin dai suoi tempi Benedetto XIV, Nostro Predecessore, nelle sua Lettera enciclica « *Annus qui* », parlando appunto della musica sacra: *bramiamo che non ritornino alle patrie loro scandolezzati dalle nostre consuetudini.* E toccando più innanzi dell'abuso degli strumenti, allora invalso, il medesimo Pontefice diceva: « *Qual concetto si formerà di noi, chi venendo da paesi, dove gli strumenti non si adoperano in chiesa, gli udirà nelle chiese nostre, nè più nè meno di quel che si soglia fare nei teatri e negli altri luoghi profani? Verranno pure da luoghi e paesi, dove nelle chiese si canta e suona, come si fa ora nelle chiese nostre. Ma se sono uomini di buon senno, si dorranno di non trovare nella nostra musica quel rimedio al male delle chiese loro, che erano qua venuti cercando* ». In altri tempi nelle musiche, solite eseguirsi in chiesa, si avvertiva forse assai meno la loro difformità dalle leggi e dalle prescrizioni ecclesiastiche, e lo scandalo per avventura era più ristretto, appunto perchè l'inconveniente era più diffuso e più generale. Ma ora, poichè tanto studio si è messo da uomini egregi nell'illustrare le ragioni della liturgia e quelle dell'arte a servigio del culto, poichè in tante chiese del mondo si sono ottenuti nella restaurazione della musica sacra così consolanti e non di rado così splendidi risultati, non ostante le difficoltà gravissime che si opponevano e che furono felicemente superate, poichè infine la necessità di un pieno mutamento di cose è entrata universalmente negli animi, ogni abuso in questa parte diviene intollerabile e dev'essere rimosso.

Ella pertanto, Sig. Cardinale, nell'alto suo officio di Nostro Vicario in Roma per le cose spirituali, con la soavità che

le è propria, ma con non minore fermezza, si adoprerà, ne siamo certi, perchè le musiche che si eseguiscono nelle chiese e cappelle sì del clero secolare che regolare di questa Città rispondano pienamente alle Nostre Istruzioni. Molte cose si dovranno o rimuovere o correggere nei canti delle messe, delle litanie lauretane, dell'inno eucaristico; ma ciò che abbisogna di un compiuto rinnovamento è il canto dei Vesperi nelle feste che si celebrano nelle varie chiese e basiliche. Le prescrizioni liturgiche del *Caeremoniale Episcoporum* e le belle tradizioni musicali della classica Scuola romana non vi si riscontrano più. Alla devota salmodia del clero, alla quale partecipava anche il popolo, si sono sostituite interminabili composizioni musicali sulle parole dei salmi, tutte foggiate alle maniera delle vecchie opere teatrali e per lo più di sì meschino valore d'arte, che non si tollererebbero affatto neppure nei concerti profani di minor conto. La devozione e la pietà cristiana non ne vanno certo promosse; si pasce la curiosità di alcuni meno intelligenti, ma i più ne ricevono disgusto e scandalo e si meravigliano che un tanto abuso perduri ancora. Noi dunque vogliamo ch'esso sia interamente tolto di mezzo e che la solennità dei Vesperi sia per tutto celebrata secondo le norme liturgiche da Noi indicate. Precederanno nell'esempio le basiliche patriarcali per la cura sollecita e lo zelo illuminato dei Signori Cardinali alle medesime preposti, e con quelle gareggeranno anzitutto le basiliche minori, le chiese collegiate e parrocchiali, come pure le chiese e cappelle degli Ordini religiosi. Ed Ella, Sig. Cardinale, non adoperi indulgenza, non conceda dilazioni. Col differire, la difficoltà non ismi-

nuisce, anzi aumenta, e poichè il taglio è da fare, si faccia immediatamente, risolutamente. Abbiano tutti fiducia in Noi e nella Nostra parola, con la quale va congiunta la grazia e la benedizione celeste. Sulle prime la novità produrrà in alcuni qualche meraviglia; si troverà forse alquanto impreparato qualcuno tra' maestri di cappella e tra' direttori del coro; ma a poco a poco la cosa riprenderà da se medesima, e nella perfetta rispondenza della musica alle norme liturgiche ed alla natura della salmodia tutti ravviseranno una bellezza e bontà, forse non mai dapprima avvertite. Invero la solennità dei Vesperi sarà così notabilmente raccorciata. Ma se i rettori delle chiese vorranno in qualche circostanza prolungare alquanto le funzioni, affine di trattenere il popolo, che così lodevolmente suol rendersi nelle ore vespertine alla chiesa dove celebrasi la festa, nulla vieta, anzi sarà tanto di guadagnato per la pietà ed edificazione dei fedeli, se al Vespero succeda un acconcio sermone e si chiuda poi con una solenne benedizione del Ssmo Sacramento.

Desideriamo infine che la musica sacra sia coltivata con cura speciale e nei debiti termini in tutti i seminarî e collegi ecclesiastici di Roma, dove una sì numerosa e tanto eletta schiera di giovani chierici di ogni parte del mondo si vengono educando alle scienze sacre ed al vero spirito ecclesiastico. Sappiamo, e questo grandemente Ci conforta, che in parecchi istituti la musica sacra è in fiore così che essi possono servire altrui di modello. Ma alcuni seminarî ed alcuni collegi, sia per la noncuranza dei superiori, sia per la poca capacità e pel gusto non buono delle persone, alle quali l'istruzione del canto e la direzione della

musica sacra sono affidate, lasciano molto da desiderare. Ella, Signor Cardinale, vorrà provvedere con sollecitudine anche a questo, insistendo soprattutto perchè il canto gregoriano, secondo le prescrizioni del Concilio tridentino e d'innumerevoli altri Concilî provinciali e diocesani di ogni parte del mondo, sia studiato con diligenza speciale e per solito preferito nelle funzioni pubbliche e private dell'istituto. In altri tempi, a dir vero, il canto gregoriano dai più non si conosceva, se non sui libri scorretti, alterati, raccorciati. Ma lo studio accurato e diuturno, postovi intorno da uomini insigni e grandemente benemeriti dell'arte sacra, ha cambiato faccia alle cose. Il canto gregoriano restituito in modo tanto soddisfacente alla sua primiera purezza, quale ci fu tramandato dai padri e si trova nei codici delle varie Chiese, appare dolce, soave, facilissimo ad apprendere e di una bellezza sì nuova ed inaspettata, che dov'esso fu introdotto, non tardò ad eccitare vero entusiasmo nei giovani cantori. Or quando nell'adempimento del dovere entra il diletto, tutto si opera con maggiore alacrità e con frutto più duraturo. Vogliamo adunque che in tutti i collegi e seminarî di quest'alma Città s'introduca di nuovo l'antichissimo canto romano, che già risonava nelle nostre chiese e basiliche e formò le delizie delle passate generazioni nei più bei tempi della pietà cristiana. E come altra volta dalla Chiesa di Roma quel canto si era sparso nelle altre Chiese d'Occidente, così bramiamo che i giovani chierici, istruiti sotto i Nostri occhi, lo rechino e lo diffondano di nuovo nelle diocesi loro, quando vi ritorneranno sacerdoti ad operare per la gloria di Dio. Ci gode l'animo di dare queste

disposizioni mentre stiamo per celebrare il XIII centenario dalla morte del glorioso ed incomparabile Pontefice San Gregorio Magno, al quale una tradizione ecclesiastica di molti secoli ha attibuito la composizione di queste sante melodie, e donde alle medesime è derivato il nome. Si esercitino diligentemente in quelle i Nostri carissimi giovani; chè Ci sarà caro udirli, se, come Ci viene riferito, essi si raccoglieranno insieme nelle prossime feste centenarie presso la tomba del Santo Pontefice nella Basilica Vaticana, a fine di eseguire le melodie gregoriane durante la sacra Liturgia, che a Dio piacendo, sarà da Noi in tale fausta occasione celebrata.

Intanto a pegno della Nostra particolare benevolenza riceva, Signor Cardinale, l'Apostolica Benedizione, che dall'intimo del cuore impartiamo a Lei, al clero ed a tutto il Nostro dilettissimo popolo.

Dal Vaticano, nella festa della Immacolata del 1903.

PIVS PP. X

DE MVSICA SACRA INSTAVRANDA

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Tra le sollecitudini dell' officio pastorale, non solamente di questa Suprema Cattedra, che per inscrutabile disposizione della Provvidenza, sebbene indegni, occupiamo, ma di ogni Chiesa particolare, senza dubbio è precipua quella di mantenere e promuovere il decoro della Casa di Dio, dove gli augusti misteri della religione si celebrano e dove il popolo cristiano si raduna, onde ricevere la grazia dei Sacramenti, assistere al santo Sacrificio dell'Altare, adorare l'augustissimo Sacramento del Corpo del Signore ed unirsi alla preghiera comune della Chiesa nella pubblica e solenne officiatura liturgica. Nulla adunque deve occorrere nel tempio che turbi od anche solo diminuisca la pietà e la devozione dei fedeli, nulla che dia ragionevole motivo di disgusto o di scandalo, nulla soprattutto che direttamente offenda il decoro e la santità delle sacre funzioni e però sia indegno della Casa di Orazione e della maestà di Dio.

Non tocchiamo partitamente degli abusi che in questa parte possono occorrere. Oggi l'attenzione Nostra si rivolge ad uno dei più comuni, dei più difficili a sradicare e che talvolta si deve dèplorare anche là, dove ogni altra cosa è degna del massimo encomio per la bellezza e sontuosità del

tempio, per lo splendore e per l'ordine accurato delle cerimonie, per la frequenza del clero, per la gravità e per la pietà dei ministri che celebrano. Tale è l'abuso nelle cose del canto e della musica sacra. Ed invero, sia per la natura di quest'arte per se medesima fluttuante e variabile, sia per la successiva alterazione del gusto e delle abitudini lungo il correr dei tempi, sia pel funesto influsso, che sull'arte sacra esercita l'arte profana e teatrale, sia pel piacere che la musica direttamente produce e che non sempre torna facile contenere nei giusti termini, sia infine per i molti pregiudizî, che in tale materia di leggeri s'insinuano e si mantengono poi tenacemente anche presso persone autorevoli e pie, v'ha una continua tendenza a deviare dalla retta norma, stabilita dal fine per cui l'arte è ammessa a servigio del culto, ed espressa assai chiaramente nei canoni ecclesiastici, nelle ordinazioni dei Concilî generali e provinciali, nelle prescrizioni a più riprese emanate dalle Sacre Congregazioni romane e dai Sommi Pontefici Nostri Predecessori.

Con vera soddisfazione dell'animo Nostro Ci è grato riconoscere il molto bene che in tal parte si è fatto negli ultimi decennî anche in questa Nostra alma Città di Roma ed in molte Chiese della patria Nostra, ma in modo più particolare presso alcune nazioni, dove uomini egregi e zelanti del culto di Dio, con l'approvazione di questa Santa Sede e sotto la direzione dei Vescovi, si unirono in fiorenti Società e rimisero in pienissimo onore la musica sacra pressochè in ogni loro chiesa e cappella. Codesto bene tuttavia è ancora assai lontano dall'essere comune a tutti, e se consultiamo l'esperienza Nostra personale e teniamo conto delle moltissime

lagnanze, che da ogni parte Ci giunsero in questo poco tempo dacchè piacque al Signore di elevare l'umile Nostra Persona al supremo apice del Pontificato romano, senza differire più a lungo, crediamo Nostro primo dovere di alzare subito la voce a riprovazione e condanna di tutto ciò che nelle funzioni del culto e nell'officiatura ecclesiastica si riconosce difforme dalla retta norma indicata. Essendo infatti Nostro vivissimo desiderio che il vero spirito cristiano rifiorisca per ogni modo e si mantenga nei fedeli tutti, è necessario provvedere prima di ogni altra cosa alla santità e dignità del tempio, dove appunto i fedeli si radunano per attingere tale spirito dalla sua prima ed indispensabile fonte, che è la partecipazione attiva ai sacrosanti misteri e alla preghiera pubblica e solenne della Chiesa. Ed è vano sperare che a tal fine su noi discenda copiosa la benedizione del Cielo, quando il Nostro ossequio all'Altissimo, anzichè ascendere in odore di soavità, rimette invece nella mano del Signore i flagelli, onde altra volta il Divin Redentore cacciò dal tempio gli indegni profanatori.

Per la qual cosa affinchè niuno possa d'ora innanzi recare a scusa di non conoscere chiaramente il dover suo e sia tolta ogni indeterminatezza nell'interpretazione di alcune cose già comandate, abbiamo stimato espediente additare con brevità quei principî, che regolano la musica sacra nelle funzioni del culto, e raccogliere insieme in un quadro generale le principali prescrizioni della Chiesa contro gli abusi più comuni di tale materia. E però di moto proprio e certa scienza pubblichiamo la presente Nostra *Istruzione,* alla quale, quasi a *codice giuridico della musica sacra*, vogliamo dalla

pienezza della Nostra Autorità Apostolica sia data forza di legge, imponendone a tutti col presente Nostro Chirografo la più scrupolosa osservanza.

ISTRUZIONE SULLA MUSICA SACRA

I.

PRINCIPÎ GENERALI.

1. La musica sacra, come parte integrante della solenne liturgia, ne partecipa il fine generale, che è la gloria di Dio e la santificazione ed edificazione dei fedeli. Essa concorre ad accrescere il decoro e lo splendore delle ceremonie ecclesiastiche, e siccome suo officio principale è di rivestire con acconcia melodia il testo liturgico che viene proposto all'intelligenza dei fedeli, così il suo proprio fine è di aggiungere maggiore efficacia al testo medesimo, affinchè i fedeli con tale mezzo siano più facilmente eccitati alla devozione e meglio si dispongano ad accogliere in sè i frutti della grazia, che sono proprî della celebrazione dei sacrosanti misteri.

2. La musica sacra deve per conseguenza possedere nel grado migliore le qualità che sono proprie della liturgia, e precisamente la *santità* e la *bontà delle forme,* onde sorge spontaneo l'altro suo carattere, che è *l'universalità.*

Deve essere *santa,* e quindi escludere ogni profanità non solo in se medesima, ma anche nel modo onde viene proposta per parte degli esecutori.

Deve essere *arte vera,* non essendo possibile che altrimenti abbia sull'animo di chi l'ascolta quell'efficacia, che la Chiesa intende ottenere accogliendo nella sua liturgia l'arte dei suoni.

Ma dovrà insieme essere *universale* in questo senso, che pur concedendosi ad ogni nazione di ammettere nelle composizioni chie-

sastiche quelle forme particolari che costituiscono in certo modo il carattere specifico della musica loro propria, queste però devono essere in tal maniera subordinate ai caratteri generali della musica sacra, che nessuno di altra nazione all'udirle debba provarne impressione non buona.

II.

GENERI DI MUSICA SACRA.

3. Queste qualità si riscontrano in grado sommo nel canto gregoriano, che è per conseguenza il canto proprio della Chiesa Romana, il solo canto ch'essa ha ereditato dagli antichi padri, che ha custodito gelosamente lungo i secoli nei suoi codici liturgici, che come suo direttamente propone ai fedeli, che in alcune parti della liturgia esclusivamente prescrive e che gli studî più recenti hanno sì felicemente restituito alla sua integrità e purezza.

Per tali motivi il canto gregoriano fu sempre considerato come il supremo modello della musica sacra, potendosi stabilire con ogni ragione le seguente legge generale: *tanto una composizione per chiesa è più sacra e liturgica, quanto più nell'andamento, nell'ispirazione e nel sapore si accosta alla melodia gregoriana, e tanto è meno degna del tempio, quanto più da quel supremo modello si riconosce difforme.*

L'antico canto gregoriano tradizionale dovrà dunque restituirsi largamente nelle funzioni del culto, tenendosi da tutti per fermo, che una funzione ecclesiastica nulla perde della sua solennità, quando pure non venga accompagnata da altra musica che da questa soltanto.

In particolare si procuri di restituire il canto gregoriano nell'uso del popolo, affinchè i fedeli prendano di nuovo parte più attiva all'officiatura ecclesiastica, come anticamente solevasi.

4. Le anzidette qualità sono pure possedute in ottimo grado dalla classica polifonia, specialmente della Scuola Romana, la quale nel secolo XVI ottenne il massimo della sua perfezione per opera di Pierluigi da Palestrina e continuò poi a produrre anche in seguito

composizioni di eccellente bontà liturgica e musicale. La classica polifonia assai bene si accosta al supremo modello di ogni musica sacra che è il canto gregoriano, e per questa ragione meritò di essere accolta, insieme col canto gregoriano, nelle funzioni più solenni della Chiesa, quali sono quelle della Cappella Pontificia. Dovrà dunque anch'essa restituirsi largamente nelle funzioni ecclesiastiche, specialmente nelle più insigni basiliche, nelle chiese cattedrali, in quelle dei seminarî e degli altri istituti ecclesiastici, dove i mezzi necessarî non sogliono fare difetto.

5. La Chiesa ha sempre riconosciuto e favorito il progresso delle arti, ammettendo a servizio del culto tutto ciò che il genio ha saputo trovare di buono e di bello nel corso dei secoli, salve però sempre le leggi liturgiche. Per conseguenza la musica più moderna è pure ammessa in chiesa, offrendo anch'essa composizioni di tale bontà, serietà e gravità, che non sono per nulla indegne delle funzioni liturgiche.

Nondimeno, siccome la musica moderna è sorta precipuamente a servigio profano, si dovrà attendere con maggior cura, perchè le composizioni musicali di stile moderno, che si ammettono in chiesa, nulla contengano di profano, non abbiano reminiscenze di motivi adoperati in teatro, e non siano foggiate neppure nelle loro forme esterne sull'andamento dei pezzi profani.

6. Fra i varî generi della musica moderna, quello che apparve meno acconcio ad accompagnare le funzioni del culto è lo stile teatrale, che durante il secolo scorso fu in massima voga, specie in Italia. Esso per sua natura presenta la massima opposizione al canto gregoriano ed alla classica polifonia e però alla legge più importante di ogni buona musica sacra. Inoltre l'intima struttura, il ritmo e il cosidetto *convenzionalismo* di tale stile non si piegano, se non malamente, alle esigenze della vera musica liturgica.

III.

TESTO LITURGICO.

7. La lingua propria della Chiesa Romana è la latina. È quindi proibito nelle solenni funzioni liturgiche di cantare in volgare qualsivoglia cosa; molto più poi di cantare in volgare le parti variabili o comuni della messa e dell' officio.

8. Essendo per ogni funzione liturgica determinati i testi che possono proporsi in musica e l'ordine con cui devono proporsi, non è lecito nè di confondere quest' ordine nè di cambiare i testi prescritti in altri di propria scelta, nè di ometterli per intero od anche solo in parte, se pure le rubriche liturgiche non consentano di supplire con l'organo alcuni versetti del testo, mentre questi vengono semplicemente recitati in coro. Soltanto è permesso, giusta la consuetudine della Chiesa Romana, di cantare un mottetto al SS. Sacramento dopo il *Benedictus* della messa solenne. Si permette pure che, dopo cantato il prescritto offertorio della messa, si possa eseguire nel tempo che rimane un breve mottetto sopra parole approvate dalla Chiesa.

9. Il testo liturgico deve essere cantato come sta nei libri, senza alterazione o posposizione di parole, senza indebite ripetizioni, senza spezzarne le sillabe, e sempre in modo intelligibile ai fedeli che ascoltano.

IV.

FORMA ESTERNA DELLE SACRE COMPOSIZIONI.

10. Le singole parti della messa e dell' officiatura devono conservare anche musicalmente quel concetto e quella forma, che la tradizione ecclesiastica ha loro dato e che trovasi assai bene espressa nel canto gregoriano. Diverso dunque è il modo di comporre un

introito, un *graduale,* un'*antifona,* un *salmo,* un *inno,* un *Gloria in excelsis* ecc.

11. In particolare si osservino le norme seguenti:

a) Il *Kyrie*, *Gloria*, *Credo* ecc. della messa devono mantenere l'unità di composizione, propria del loro testo. Non è dunque lecito di comporli a pezzi separati, così che ciascuno di tali pezzi formi una composizione musicale compiuta e tale che possa staccarsi dal rimanente e sostituirsi con altra.

b) Nell' officiatura dei Vesperi si deve ordinariamente seguire la norma del *Caeremoniale Episcoporum,* che prescrive il canto gregoriano per la salmodia e permette la musica figurata pe' versetti del *Gloria Patri* e per l'inno.

Sarà nondimeno lecito nelle maggiori solennità di alternare il canto gregoriano del coro coi cosidetti *falsibordoni* o con versi in simile modo convenientemente composti.

Si potrà eziandio concedere qualche volta che i singoli salmi si propongano per intero in musica, purchè in tali composizioni sia conservata la forma propria della salmodia; cioè purchè i cantori sembrino salmeggiare tra loro, o con nuovi motivi, o con quelli presi dal canto gregoriano, o secondo questo imitati.

Restano dunque per sempre esclusi e proibiti i salmi cosiddetti *di concerto.*

c) Negli inni della Chiesa si conservi la forza tradizionale dell'inno. Non è quindi lecito di comporre p. e. il *Tantum ergo* per modo che la prima strofa presenti una romanza, una cavatina, un adagio, e il *Genitori* un allegro.

d) Le antifone dei Vesperi devono essere proposte d'ordinario con la melodia gregoriana loro propria. Se però in qualche caso particolare si cantassero in musica, non dovranno mai avere nè la forma di una melodia di concerto nè l'ampiezza di un mottetto o di una cantata.

V.

CANTORI.

12. Tranne le melodie proprie del celebrante all' altare e dei ministri, le quali devono essere sempre in solo canto gregoriano senza alcun accompagnamento d'organo, tutto il resto del canto liturgico, è proprio del coro dei leviti, e però i cantori di chiesa anche se sono secolari, fanno propriamente le veci del coro ecclesiastico. Per conseguenza le musiche, che propongono, devono, almeno nella loro massima parte, conservare il carattere di musica da coro.

Con ciò non s'intende del tutto esclusa la voce sola. Ma questa non deve mai predominare nella funzione, così che la più gran parte del testo liturgico sia in tale modo eseguita; piuttosto deve avere il carattere di semplice accenno o spunto melodico ed essere strettamente legata al resto della composizione a forma di coro.

13. Dal medesimo principio segue che i cantori hanno in chiesa vero officio liturgico, e che però le donne, essendo incapaci di tale officio, non possono essere ammesse a far parte del coro o della cappella musicale. Se dunque si vogliono adoperare le voci acute dei soprani e contralti, queste dovranno essere sostenute dai fanciulli, secondo l'uso antichissimo della Chiesa.

14. Per ultimo non si ammettano a far parte della cappella di chiesa se non uomini di conosciuta pietà e probità di vita, i quali col loro modesto e devoto contegno durante le funzioni liturgiche si mostrino degni del santo officio che esercitano. Sarà pure conveniente che i cantori, mentre cantano in chiesa, vestano l'abito ecclesiastico e la cotta, e se trovansi in cantorie troppo esposte agli occhi del pubblico, siano difesi da grate.

VI.

ORGANO ED ISTRUMENTI.

15. Sebbene la musica propria della Chiesa sia la musica puramente vocale, nondimeno è permessa eziandio la musica con accompagnamento d'organo. In qualche caso particolare, nei debiti termini e coi convenienti riguardi, potranno anche ammettersi altri strumenti, ma non mai senza licenza speciale dell'Ordinario, giusta la prescrizione del *Caeremoniale Episcoporum.*

16. Siccome il canto deve sempre primeggiare, così l'organo o gli strumenti devono semplicemente sostenerlo e non mai opprimerlo.

17. Non è permesso di premettere al canto lunghi preludî o d'interromperlo con pezzi d'intermezzo.

18. Il suono dell'organo negli accompagnamenti del canto, nei preludî, interludî e simili, non solo deve essere condotto secondo la propria natura di tale strumento, ma deve partecipare di tutte le qualità che ha la vera musica sacra e che si sono precedentemente annoverate.

19. È proibito in chiesa l'uso del pianoforte, come pure quello degli strumenti fragorosi o leggeri, quali sono il tamburo, la grancassa, i piatti, i campanelli e simili.

20. È rigorosamente proibito alle cosidette bande musicali di suonare in chiesa; e solo in qualche caso speciale, posto il consenso dell'Ordinario, sarà permesso di ammettere una scelta limitata, giudiziosa e proporzionata all'ambiente, di strumenti a fiato, purchè la composizione e l'accompagnamento da eseguirsi sia scritto in stile grave, conveniente e simile in tutto a quello proprio dell'organo.

21. Nelle processioni fuori di chiesa può essere permessa dall'Ordinario la banda musicale, purchè non si eseguiscano in nessun modo pezzi profani. Sarebbe desiderabile in tali occasioni che il

concerto musicale si restringesse ad accompagnare qualche cantico spirituale in latino o volgare, proposto dai cantori o dalle pie congregazioni che prendono parte alla processione.

VII.

AMPIEZZA DELLA MUSICA LITURGICA.

22. Non è lecito per ragione del canto o del suono fare attendere il sacerdote all'altare più di quello che comporti la ceremonia liturgica. Giusta le prescrizioni ecclesiastiche, il *Sanctus* della messa deve essere compiuto prima dell'elevazione, e però anche il celebrante deve in questo punto avere riguardo ai cantori. Il *Gloria* ed il *Credo,* giusta la tradizione gregoriana, devono essere relativamente brevi.

23. In generale è da condannare come abuso gravissimo, che nelle funzioni ecclesiastiche la liturgia apparisca secondaria e quasi a servizio della musica, mentre la musica è semplicemente parte della liturgia e sua umile ancella.

VIII.

MEZZI PRECIPUI.

24. Per l'esatta esecuzione di quanto viene qui stabilito, i Vescovi, se non l'hanno già fatto, istituiscano nelle loro diocesi una commissione speciale di persone veramente competenti in cose di musica sacra, alla quale, nel modo che giudicheranno più opportuno, sia affidato l'incarico d'invigilare sulle musiche che si vanno eseguendo nelle loro chiese. Nè badino soltanto che le musiche siano per sè buone, ma che rispondano altresì alle forze dei cantori e vengano sempre bene eseguite.

25. Nei seminarî dei chierici e negli istituti ecclesiastici, giusta le prescrizioni tridentine, si coltivi da tutti con diligenza ed amore il prelodato canto gregoriano tradizionale, ed i superiori siano in questa parte larghi d'incoraggiamento e di encomio coi loro giovani sudditi. Allo stesso modo, dove torni possibile, si promuova tra i chierici la fondazione di una *Schola Cantorum* per l'esecuzione della sacra polifonia e della buona musica liturgica.

26. Nelle ordinarie lezioni di liturgia, di morale, di gius canonico che si dànno agli studenti di teologia non si tralasci di toccare quei punti che più particolarmente riguardano i principî e le leggi della musica sacra, e si cerchi di compierne la dottrina con qualche particolare istruzione circa l'estetica dell'arte sacra, affinchè i chierici non escano dal seminario digiuni di tutte queste nozioni, pur necessarie alla piena coltura ecclesiastica.

27. Si abbia cura di restituire, almeno presso le chiese principali, le antiche *Scholae Cantorum*, come si è già praticato con ottimo frutto in buon numero di luoghi. Non è difficile al clero zelante d'istituire tali *Scholae* perfino nelle chiese minori e di campagna, anzi trova in esse un mezzo assai facile d'adunare intorno a sè i fanciulli e gli adulti, con profitto loro proprio ed edificazione del popolo.

28. Si procuri di sostenere e promuovere in ogni miglior modo le Scuole superiori di musica sacra dove già sussistono e di concorrere a fondarle dove non si possedono ancora. Troppo è importante che la Chiesa stessa provveda all'istruzione dei suoi maestri, organisti e cantori, secondo i veri principî dell'arte sacra.

IX.

CONCLUSIONE.

29. Per ultimo si raccomanda ai maestri di cappella, ai cantori, alle persone del clero, ai superiori dei seminarî, degli istituti ecclesiastici e delle comunità religiose, ai parroci e rettori di chiese,

ai canonici delle collegiate e delle cattedrali, soprattutto agli Ordinarî diocesani di favorire con tutto lo zelo queste sagge riforme, da molto tempo desiderate e da tutti concordemente invocate, affinchè non cada in dispregio la stessa autorità della Chiesa, che ripetutamente le propose ed ora di nuovo le inculca.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico al Vaticano, il giorno della Vergine e Martire S. Cecilia, xxii Novembre mdcccciii, del Nosto Pontificato l'anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER
ARCHIEPISCOPO COLONIENSI
COLONIAM AGRIPPINAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Societatem Caecilianam iamdudum apud vos ex instituto id agentem, ut cantus gregoriani scientiam peritiamque in usum sacrorum late promoveat, merito tu quidem ac iure Nobis commendasti. Dignum enim omni commendatione studium est hominum, in re elaborantium, quae quum ad sanctissimas caeremonias, ea qua par est religione, peragendas conferat, magnopere ad fovendam pietatem publicam valet. Ex istorum autem a S. Caecilia sodalium sollertia industriaque fructus evenire, ubicumque germanicus sermo obtinet, laetos atque uberes, quamquam non ignotum Nobis erat, iucundum fuit ex tuis quoque litteris cognoscere. Nominatim didicimus libenter, ipsorum operam in finibus dioecesis tuae proficere et valere plurimum. Itaque non potest esse dubium, quin Caeciliana ista Societas aeque probetur Nobis, ac decesso-

ribus Nostris Pio IX et Leoni XIII fel. rec. probaretur: nec Nos minus habemus certum, fore ut illa novis praescriptionibus, quas in hoc genere dandas censuerimus, eadem voluntate et fide obsequatur, qua obsequi Sedis Apostolicae mandatis consuevit. Eidem interea non exiguas nec vulgares laudes, quas meretur, Nostro etiam nomine tribuas volumus: simulque divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem habe tibi, dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem, quam laudatae quoque Societati universae et clero populoque tuis curis credito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO

E. JANVIER

SODALI DOMINICANO

PARISIOS

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quas nuper edidisti orationes, graves illas ac disertas, quibus pronuntiandis in Parisiensi Beatae Virginis templo praeclaram proxime navasti operam, misit illas ad Nos Legatus Noster apud Gallorum Rempublicam. Oblatum humane munus voluntate grata complectimur; laudes vero, quibus egregio in opere exornatus appares, profiteri publice libet. Amplissimae enim gloriae suggestum digna maioribus consuetudine conscendisti, populoque nobili variaque eruditione conspicuo catholicas de hominum vita sententias praestanti doctrinae genere enarrasti multisque fulgentes eloquentiae luminibus praebuisti. Quod si haec rerum verborumque ornamenta laudamus, illud tamen gaudemus praecipue, illustratas eximie mentes peculiari quodam caritatis ardore ad Sanctae Religionis cultum esse adductas. Quamobrem ex animo tibi

gratulati, maiora semper spiritualium fructuum incrementa sollertiae industriaeque tuae deprecamur, gratiarumque caelestium auspicem Apostolicam Benedictionem peramanter tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
PECVLIARES INDVLGENTIAE INDICVNTVR
DVRANTE ANNO
QVI PRAECEDIT QVINQVAGESIMVM ANNIVERSARIVM
A PROCLAMATIONE DOGMATIS
IMMACVLATAE CONCEPTIONIS B. M. V.

—

PIVS PP. X

VNIVERSIS CHRISTIFIDELIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere, feliciterque eveniant, ea ex supremi Apostolatus officio, quo fungimur divinitus, quacumque ope possumus procuramus, et spiritualium munerum largitione favemus. Iamvero cum proximo anno quinquagesimus recurrat anniversarius dies, ex quo toto Catholico Orbe plaudente fel. rec. Pius PP. IX Praedecessor Noster sollemni decreto Virginem Deiparam sine originali labe conceptam declaravit; atque ad auspicatissimi eventus memoriam recolendam plurimis in templis ac sacellis die octava cuiusque mensis per solidum annum a die octava vertentis Decembris ad octavam pariter diem Decembris mensis proximi anni MDCCCCIV,

vel Dominica immediate respective sequente peculiares habendae sint supplicationes, Nos, quibus nihil antiquius quam ut fidelium pietas erga immunem ab omni macula Virginem magis magisque in dies excitetur, caelestes idcirco Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem Nobis Altissimus commisit, benigne in Domino reserare censuimus. Quae cum ita sint de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis ex utroque sexu, qui in qualibet ex Ecclesiis sive Sacellis ubique terrarum existentibus, in quibus de respectivi Ordinarii licentia menstrua in honorem Immaculatae Virginis supplicatio rite fiat, eidem contrito saltem corde adsint, in forma Ecclesiae solita de poenalium numero septem annos totidemque quadragenas; quoties vero diebus, quibus mensilis haec pia exercitatio locum habet, Ecclesias sive Oratoria supramemorata contrito similiter corde visitent, toties iis in forma pariter Ecclesiae consueta trecentos dies de poenalium numero expungimus. Insuper iisdem ex utroque sexu fidelibus, qui saltem ter intra anni curriculum dictis supplicationibus aderint, atque admissorum confessione rite expiati et caelestibus epulis refecti pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, semel tantum per unumquemque eorum lucrandam Plenariam; tandem iis, qui intra futuri anni MDCCCCIV spatium vel turmatim vel singillatim peregre ad hanc Almam Urbem Nostram accedant, dummodo similiter vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti Vaticanam et Liberianam Basilicas devote visitent, etiam Plenariam omnium pec-

catorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Denique largimur, fidelibus iisdem, si malint, liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesentibus unice tantum. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus nostri anno primo.

A. Card. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO IOSEPHO TIT. S. MARIAE ANGELORVM IN THERMIS
S. R. C. PRESBYTERO CARDINALI GRVSCHA
ARCHIEPISCOPO VINDOBONENSI
CETERISQVE AVSTRIAE EPISCOPIS

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER AC VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quas e Vindobonensi conventu vestro litteras, communi sententia a vobis datas, accepimus, mirum quantum habuimus gratas quantaque animi iucunditate perlegimus. Nihil in illis officii, nihil voluntatis desideravimus, quod Pontifici Maximo, recens ad Petri Cathedram evecto, Episcopos par est exhibere. Quamobrem gratias a Nobis habetote meritas. Quod attamen in vestris litteris cum maxime adamavimus illud est, Venerabiles Fratres, quod quae bona, quaeve mala in vestris dioecesibus occurrunt et vos agnoscitis penitus et Nobis candide aperuistis. Prodest hoc quidem Nobis ut, pro cura dominici gregis, fidelium vestrorum securitati prudenter prospiciamus; nec vobis minus est utile, ut norit quisque quae provehenda sint quaeve emendanda. Profecto quae,

caritate deficiente tantaque errorum grassante lue, ubique dolemus damna, apud vestrates etiam reperiri necesse est. Quid vero, Venerabiles Fratres? An idcirco despondendum animos vel spe labendum? Memoria ne excidat hortamur, quo qualesque inter gentes Christus apostolos miserit. Idem porro Christus, qui heri et hodie et in saecula, posuit vos omnes regere ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo. Quod Ipsi Nobis animose proposuimus, et vos, Venerabiles Fratres, vobismet proponite: toto videlicet pectore, totis viribus persequi ut instaurentur omnia in Christo. Quae tanto operi perficiendo potissima sunt adiumenta, habetis affatim in encyclicis Litteris Nostris. Ea ut a clero et laicis studiose teneantur efficite. Nihil plane minus a vero abest, quam quod de Ecclesia patriaque vestra vos ipsi asseritis: illum nimirum inter utramque esse nexum, ut proficiant pariter deficiantque. Id vos genti vestrae persuadere penitus contendite. Ament nempe omnes patriam; verum hoc simul meminerint, nihil patriae bono efficacius conducere quam Christi religionem sancte inviolateque retentam. Ceterum Venerabiles Fratres, de studio benevolentiaque Nostris ne dubitetis unquam. Caritatis autem, qua Vos complectimur, testis esto Apostolica Benedictio, quam auspicem divinorum munerum, vobis, clero, populoque vestro amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
ADMINISTRATIO BONORVM
AD SIXTINVM SACRARIVM BASILICAE LIBERIANAE PERTINENTIVM
CAPITVLO EIVSDEM BASILICAE TRIBVITVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Pietate Nos studioque adducti, quo Beatissimam Dei Matrem venerari et colere uti tempore ante Pontificatum consuevimus, ita nunc maxime in exemplum studemus, animum mature intendimus ad Patriarchalem Basilicam Liberianam, quae, utpote aedes Deiparae augustissima ex omnibus, curae Nobis esse praecipuo quodam iure debet. Atque ut de principe Virginis templo cogitemus in praesens ipsa facit opportunitas temporis, quum apparantur mariales toto orbe laetitiae, quod ante annos quinquaginta Pius IX fel. rec. Decessor Noster immaculatam ab origine Mariam credendam esse edixerit. Iamvero quum voluntatem favoremque, quo eam Basilicam prosequimur, testari iam nunc re velimus, placet consilium quoddam exequi, quod cum in tuitionem sacerrimae aedis aliquid conferat, tum Liberiano Canonicorum ordini sane decorum fore videatur.

Spectat autem res pernobile Corporis Christi Sacrarium munificentia Sixti V Pont. Max. ibidem constructum ad cunas etiam Domini Nostri augustius custodiendas: cuius quidem Sacrarii procurandi administrandique rationem, quae viguit ad hoc tempus, immutare his Litteris opportunum censuimus. Igitur Pius IX datis die XXVIII Decembris anno MDCCCLXIX Apostolicis Litteris Collegium Sacerdotum, quod Sixtus auctor Sacrario addixerat, quum abolevisset, alias deinde Litteras, quarum initium « *De insignium pietatis* » die XXIV Maii anno MDCCCLXXI dedit, quibus, munere et officio Cardinalis Protectoris abrogato, Sixtinum Sacrarium sibi suisque in Pontificatu Successoribus immediate subiecit, atque bona, iura, et actiones, quae sive ad Sacrarium sive ad Collegium dictum quovis nomine pertinerent, Sacrario eidem in perpetuum assignavit et attribuit. Simul decrevit, ut Cardinalis aedium pontificalium Praefectus aut Antistes Diaetarchus, si penes hunc loco Cardinalis Praefecti esset Palatii Apostolici procuratio, Sixtino Sacrario vice sacra praeesset, et bona omnia Sacrario attributa administraret; cauto nominatim, ut quae, annuis rationibus deductis, fuisset pecunia reliqua, rite legitimeque collocaretur fenori extraordinariis quoque suppeditandis sumptibus par futura. Praeterea Pontificis Maximi voluit esse, idoneum de Clero virum deligere, ad nutum, si res postularet, amovendum, qui Sacrario, honore gratuito, proximus praesideret; isque non modo rectam ibidem perfunctionem sacrorum curaret, verum etiam Sacrarii ornatum ipsasque aedes sarta tecta tueretur; nihil tamen impendii, nisi auctore vel Cardinali Palatii Praefecto vel Antistite Diaetarcho, faceret. Alterutri autem sive Cardinali sive Antistiti facultatem

fecit deligendi ad custodiam Sacrarii Sacerdotem aedituum, duosque praeterea clericum et laicum, amovendos item ad nutum, eisque munia et stipendia definiendi.

Denique continentem Sacrario domum, quam ipse exstruendam curaverat, Sacrario similiter datam addictamque, utendam aedituo Sacerdoti et custodi laico concessit, excepta inferiore domus parte, cuius sibi et Successoribus usum reservavit. Haec Pius IX, praeter alia quaedam ad reliquias praesertim extincti a se Sixtini Collegii pertinentia, constituit in iis Litteris, quas supra memoravimus. Nos vero Decessoris Nostri decreta, qua parte opus est, abrogantes, stabilia de cetero et rata iubentes esse, haec statuimus et sancimus.

I. Sixtinum Sacrarium eodem iure posthac erit ac ceterae sunt templi Liberiani partes; ita quidem ut eius Sacrarii dominium seu proprietas penes Apostolicam Sedem maneat, usus autem et ususfructus Capitulo Liberiano cedat.

II. In bonis, Pii IX decreto, Sacrario Sixtino assignatis, usus contiguae domus, nulla reservata parte, censeatur.

III. Sixtino Sacrario praeesse eiusque administrare bona iam non Cardinali aedium pontificalium Praefecto aut Antistiti Diaetarcho, verum Cardinali Archipresbytero et Capitulo Liberiano ius erit: rationes tamen Sacrarii seorsum a rationibus Capituli computentur.

IV. Quod ad Sacrarii custodiam attinet, qua ratione et quorum ministerio ea gerenda sit, integrum erit Archipresbytero et Capitulo constituere.

V. In bonorum Sacrarii Sixtini administratione, detractis de summa redituum impensis, quas in annuam tuitionem,

custodiam, cultumque Sacrarii fieri oporteat, quae pecunia superfuerit, de ea sic praescribimus: argentei italici mille quotannis seponantur fenori in acervum ad extraordinarios Sacrarii sumptus, reliqua liceat Capitulo in usum Basilicae tantummodo, ad ipsius servanda opera, convertere.

Haec omnia rata et firma uti sunt, ita esse perpetuo volumus: non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis ac praesertim ea de iure quaesito non tollendo, memoratis Decessoris Nostri Pii IX Apostolicis Litteris, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibusvis verborum tenoribus et formis et cum quibusvis clausulis ac decretis derogatoriis atque irritantibus in genere vel in specie, etiam motu proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine concessis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio facienda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis respective habentes, ad effectum praemissorum amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
FRANCISCO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RICHARD
ARCHIEPISCOPO PARISIENSI
LVTETIAM PARISIORVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Opus a Catechismis sollerti et actuosa egregiarum feminarum pietate apud vos ante annos octodecim institutum in gratiam puerorum, qui nihil iam de doctrina religionis in scholis publicis audirent, rogasti tu quidem nuper, ut voluntatis Nostrae significatione aliqua ornaremus. Nos vero ea legentes quae perscribenda curasti de ortu, progressione, fructibus istius operis, magnam scito cepisse animo voluptatem, praesertim quum in hoc etiam facto videremus divinae praesentiam bonitatis, tempestiva suggerentis et consilia et auxilia bonis ad communem salutem. Ac mirum non est, si hanc tam opportunam de regno Christi ac de proximis bene merendi rationem Decessor Noster illustris probavit admodum, et pontificalis indulgentiae muneribus ditavit; quum eadem celeberrimo civitatis iudicio, ut accepimus, in

genere operum humanae societati utilium primas tulerit. Hinc dicere vix attinet, eam Nobis, non secus ac Decessori Nostro, caram acceptamque esse: eo magis quod ipsius nunquam fortasse tanta fuit, quanta est hodie non modo opportunitas sed necessitas. Quando enim, ut usuvenire istic dolemus, eripitur aut coangustatur sacro ordini nativum ius docendi publice, omnino res postulat ut sacerdotum ministerio navitas opituletur laicorum, quo puerilis saltem aetas fidei morumque principia incorrupta imbibat. Quare pias feminas saluberrimo deditas operi, de quo loquimur, cum pro merito dilaudamus, tum hortamur vehementer, velint nova quotidie alacritate studioque propositum persequi: simul oramus enixe Deum, ut earum fortunet labores, augeat numerum. Auspicem caelestium donorum ac singularis benevolentiae Nostrae testem habeant Apostolicam Benedictionem, quam tibi primum, dilecte Fili Noster, atque etiam clero populoque tuo universo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

GRATIAE ET PRIVILEGIA
CLERICIS CONCLAVISTIS POSTREMI CONCLAVIS CONCESSA

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Peculiaria quaedam benevolentiae Nostrae argumenta dilectis filiis ecclesiasticis viris daturi, qui Nobis et Dilectis Filiis Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in Conclavi, quo divina favente clementia ad Summum Pontificatum assumpti fuimus, operam adhibuere, aut variis ibidem muneribus sunt perfuncti, traditam a Decessoribus Nostris consuetudinem sic sane tenuimus, quemadmodum per conditionem temporum licuit. Quapropter id maxime gratiarum privilegiorumque genus animo spectantes, quod esset cum eorundem Conclavistarum praesenti utilitate coniunctum, haec auctoritate Nostra Nostroque Motu proprio decrevimus:

I. Clericis Conclavistis S. R. E. Cardinalium in Urbe commorantium aut Italiae dioecesibus praesidentium libellae centum et quinquaginta singulos in annos, pensionis nomine, erunt.

II. Gratiae, provisiones aut commendae quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum, Litteraeque Apostolicae de hisce conficiendae, gratis iisdem semel tantum impertientur.

III. Si quando infirma valetudine utantur, Sacrum per se facere, servatis servandis, in suo cuiusque Oratorio, quod ipsorum Ordinarius probaverit, ius eisdem erit. Ceteris vero Clericis Conclavistis, qui Dilectos Filios Nostros S. R. E. Cardinales dioecesibus extra Italiam regendis praepositos sunt secuti, memoratae expers conditionis, servatisque, ut supra, servandis, Oratorii privati ius erit.

IV. Expediendae de his privilegiis ac iuribus Litterae gratis omni ex causa concedantur.

V. Declaratae modo gratiae aliis gratiis quovis ex capite habitis vel assequendis detrimento ne sint: omnis tamen efficacitas praescriptis maneat, quae a Leone XIII fel. rec. Decessore Nostro, die XXIV Maii a. MDCCCIC sunt edita.

Non obstantibus Constitutionibus, Ordinationibus, Nostris ac Cancellariae Apostolicae Regulis, aliisque licet speciali et individua mentione dignis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis et individua habenda mentio, eorumque tenores inserendi forent, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse Motu proprio derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio J.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. Et cum declaratione quod reliqua privilegia et indulta contenta in similibus Motus proprii schedulis a nonnullis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris favore Conclavistarum alias editis, ob hodiernas rerum ac temporum circumstantias pro nunc in suspenso remaneant. Et quod praesentis Nostri

Motus proprii schedulae signatura sufficiat et ubique fidem faciat in iudicio et extra illud, Regula quacumque contraria non obstante; et quod praemissorum omnium et singulorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in Litteris, si videbitur, expediendis, in quibus singulorum Conclavistarum nomina et cognomina exprimi et describi, seu pro expressis et descriptis haberi possint, inter quos Sacrista et Magistri Caeremoniarum Cappellae Nostrae, nec non Secretarius Collegii eorundem Cardinalium. Volumus autem quod Litterarum super praesentibus conficiendarum ac etiam praesentis Nostri Motus proprii transumptis impressis ac manu alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae subscriptis et sigillo munitis, eadem fides, tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus Litteris vel praesenti Motui proprio originali adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae, aut exhibitus vel ostensus foret. – ***Fiat J.***

Datum Romae apud S. Petrum decimo nono Calendas Ianuarias MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. DI PIETRO ***Pro-Datarius.***

INDEX CONCLAVISTARVM

DE QVIBVS AGITVR IN MOTV—PROPRIO

Fr. Guilelmus Pifferi, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Episcopus tit. Porphyrien., Sacrarii Apostolici Praefectus.

Raphaël Merry del Val, Archiepiscopus tit. Nicaenus, S. Collegii Secretarius.

Franciscus Riggi, Protonotarius Apostolicus, Apostolicis Caeremoniis Praefectus.

Nazarenus Marzolini, Franciscus Ciocci, Robertus Marcucci, Nicolaus D'Amico et Ioseph Tani, Magistri Caeremoniarum.

Ioannes Bressan Presbyter; conclavista Noster dum Cardinalatus honore fungebamur.

Pius Canonicus Mingoli Presbyter; Aloysii Episcopi Ostien. et Veliternen. S. R. E. Camerarii Oreglia di S. Stefano.

Marcus Martini Presbyter; Seraphini Episcopi Portuen. et S. Ruphinae Vannutelli.

Vincentius Botti Presbyter; Marii Episcopi Sabinen. Mocenni.

Isidorus Möderl Presbyter; Antonii Episcopi Albanen. Agliardi.

Franciscus Parillo Presbyter; Vincentii Episcopi Praenestin. Vannutelli.

Rinaldus Angeli Presbyter; Francisci Episcopi Tusculan. Satolli.

Emmanuel Canonicus Auaquim Presbyter; Iosephi Sebastiani Card. Tituli SS. XII Apostolorum Neto.

Dominicus Canonicus De Angelis Presbyter; Alphonsi Card. Tituli S. Mariae de Populo Capecelatro.

Rev. H. Landrieux Presbyter et Vicarius Generalis Rhemen.; Benedicti Mariae Card. Tituli S. Ioannis ante Portam Latinam Langénieux.

Patritius Carolus Gavan Presbyter; Iacobi Card. Tituli S. Mariae trans Tiberim Gibbons.

Philippus Rocchi Presbyter; Mariani Card. Tituli S. Caeciliae Rampolla del Tindaro.

Eduardus Thomas Presbyter; Francisci Mariae Card. Tituli S. Mariae in Via Richard.

Canonicus Van Olmen Presbyter; Petri Lamberti Card. Tituli S. Crucis in Ierusalem Goossens.

Franciscus Kamprath Presbyter; Antonii Iosephi Card. Tituli S. Mariae Angelorum in Thermis Gruscha.

Ioseph Canonicus Guerri Presbyter; Angeli Card. Tituli S. Laurentii in Lucina Di Pietro.

Canonicus Quin et I. Ryan, Presbyteri; Michaelis Card. Tituli S. Mariae de Pace Logue.

Georgius Andor Presbyter; Claudii Card. Tituli S. Martini in Montibus Vaszary.

Leo Gautier Presbyter et Vicarius Generalis Augustodunen.; Adulphi Ludovici Alberti Card. Tituli S. Petri ad Vincula Perraud.

Ioannes Steinmann Presbyter; Georgii Card. Tituli S. Agnetis extra moenia Kopp.

Rev. Gibaudin Presbyter; Victoris Luciani Card. Tituli S. Pudentianae Lécot.

Beniaminus Miñana Presbyter; Cyriaci Mariae Card. Tituli S. Petri in Monte Aureo Sancha y Hervas.

Petrus Canonicus Saccomandi Presbyter; Dominici Card. Tituli S. Honuphrii in Ianiculo Svampa.

Antonius Merisio et Ioseph Polvara Presbyteri; Andreae Card. Tituli S. Anastasiae Ferrari.

Aloisius Canonicus Haver Presbyter; Hieronymi Card. Tituli S. Mariae Scalaris Gotti.

Isidorus Casañas et Ioachim Valls, Presbyteri; Salvatoris Card. Tituli SS. Quirici et Iulittae Casañas y Pagés.

Adulphus Moracci Subdiaconus; Achillis Card. Tituli S. Pancratii Manara.

Ioseph Giovannelli Presbyter; Dominici Card. Tituli S. Priscae Ferrata.

Nicolaus Santopaolo Presbyter; Seraphini Card. Tituli S. Mariae supra Minervam Cretoni.

Aloysius d'Aquino Presbyter; Iosephi Card. Tituli S. Xysti Prisco.

Emmanuel Caciro Presbyter; Iosephi Mariae Card. Tituli S. Mariae Transpontinae Martin de Herrera y de la Iglesia.

Emmanuel Béchetoille Presbyter; Petri Herculis Card. Tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio Coullié.

Canonicus Charost Presbyter; Iosephi Guilelmi Card. Tituli S. Mariae Novae Labouré.

Aloysius Biondi Presbyter; Ioannis Baptistae Card. Tituli S. Mariae de Victoria Casali del Drago.

Carolus Ingami Clericus; Francisci de Paula Card. Tituli S. Chrysogoni Cassetta.

Antonius Marinucci Presbyter; Alexandri Card. Tituli SS. Petri et Marcellini Sanminiatelli.

Paschalis Ragosta Presbyter; Ianuarii Card. Tituli S. Clementis Portanova.

Ioannes Licitri Presbyter; Iosephi Card. Tituli SS. Ioannis et Pauli Francica Nava.

Franciscus Xaverius Hertzog Presbyter Sulpitianus; Francisci Desiderati Card. Tituli S. Sabinae Mathieu.

Caelestinus Nadalini Presbyter; Petri Card. Tituli SS. Quatuor Coronatorum Respighi.

Artius Canonicus Gastaldi Presbyter; Augustini Card. Tituli S. Eusebii Richelmy.

Petrus Fumasoni Presbyter; Sebastiani Card. Tituli S. Augustini Martinelli.

Paschalis Antonelli Presbyter; Casimiri Card. Tituli S. Marcelli Gennari.

Mauritius Picha Presbyter; Leonis Card. Tituli S. Stephani in Coelio Monte de Skrbensky.

Camillus Battaglia Presbyter; Iulii Card. Tituli S. Laurentii in Panisperna Boschi.

Ladislaus Bandurski et Paulus Frelek, Presbyteri; Ioannis Card. Tituli S. Vitalis Puzyna.

Sylvinus Tomba Presbyter; Bartholomaei Card. Tituli S. Bartholomaei in Insula Bacilieri.

Henricus Ponti Presbyter; Caroli Card. Tituli S. Mariae in Ara-Caeli Cavicchioni.

Aloysius Campa Presbyter; Andreae Card. Tituli S. Hieronymi Illyricorum Aiuti.

Archangelus Rossi Brunoni Presbyter; Aemygdii Card. Tituli S. Bernardi ad Thermas Taliani.

Martialis Lopez Presbyter; Sebastiani Card. Tituli SS. Bonifacii et Alexii Herrero y Espinosa.

Ioannes Filzer Presbyter; Ioannis Card. Tituli S. Thomae in Parione Katschthaler.

Ioannes Jansen Presbyter; Antonii Card. Tituli SS. Nerei et Achillei Fischer.

Ioseph Lombardi Presbyter; Aloysii Card. Diac. S. Mariae in Via Lata Macchi.

Guilelmus Huber Presbyter; Andreae Card. Diac. S. Agathae Steinhuber.

Henricus Felici Presbyter; Francisci Card. Diac. S. Mariae in Porticu Segna.

Ioannes Rossi Presbyter; Raphaelis Card. Diac. SS. Cosmae et Damiani Pierotti.

Ioseph Tellarini Presbyter; Francisci Salesii Card. Diac. S. Mariae in Aquiro Della Volpe.

Vincentius Rossetti Presbyter; Iosephi Calasanctii Card. Diac. S. Adriani Vives y Tuto.

Ioseph Falco Presbyter; Aloysii Card. Diac. S. Mariae in Domnica Tripepi.

Ioannes Biasiotti Presbyter; Felicis Card. Diac. S. Mariae ad Martyres Cavagnis.

Fr. Augustinus Pifferi ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Sub-Sacrista.

Fridericus Tedeschini Presbyter, adiutor Secretario S. Collegii.

Visum et correctum:

Sac. Orestes Fraschetti
Datariae Apostolicae a secretis vices gerens.

Hac die 10 Augusti 1904.

L. ✠ S. (Dataria Apostolica).

LETTERA

A SUA ALTEZZA REALE
ENRICHETTA
DUCHESSA DI VENDÔME, PRINCIPESSA DEL BELGIO
NEUILLY

Altezza,

Il filiale omaggio, che Ci ha reso Vostra Altezza Reale in quella che implorava da Noi una testimonianza di benevolo animo verso la egregia *Opera delle Campagne,* Ci è giunto vivamente accetto non pure per i sensi che l'Altezza Vostra esprimeva al Vicario di Cristo, ma eziandio per la caritatevole pietà, di cui Ella Ci appariva insignita. Lunghi anni, ed essi non iscevri di qualche amorevele fatica, spendemmo anche Noi in pro degli umili abitatori dei campi, ed a vantaggio delle derelitte Chiese, dove è l'istesso Iddio dei magnifici Tempii che da povero Clero riceve culto disadorno. Poichè pertanto anche Vostra Altezza nella presidenza di così benemerita Opera ha bellamente consacrato tanta parte delle elette sue industrie, Noi siamo ben lieti di felicitarci con lei. Per significarle poi nella più grata maniera la sincera brama, che Noi nutriamo, di vedere prosperare il sullodato Sodalizio, di tutto cuore gli preghiamo

l'assistenza del Cielo, ed all'Altezza Vostra, del pari che a quanti gli son larghi di aiuto, impartiamo paternamente l'Apostolica Benenedizione.

Dato in Roma presso S. Pietro il 16 Dicembre 1903, anno primo del Nostro Pontificato.

PIVS PP. X

DE ELECTIONE EPISCOPORVM
AD SVPREMAM S. CONGREGATIONEM S. OFFICII AVOCANDA

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Romanis Pontificibus maximae semper curae fuit, ut singulis in orbe terrarum Ecclesiis tales praeficerentur Pastores qui probe scirent strenueque valerent tantum sustinere *onus* vel ipsis *angelicis humeris formidandum.* Ex quo factum est ut ab antiquis temporibus plura iidem ediderint, quibus vel novae pro Episcoporum felici delectu traderentur normae vel iam traditarum observantia urgeretur.

Haec inter speciali quidem recordatione digna censemus quae, ante Sacrosanctum Tridentinum Concilium, Supremus Pontifex Leo X [1], post illud vero, Xystus V [2], Gregorius XIV [3] atque Urbanus VIII [4] de qualitatibus promovendorum deque

[1] Bulla *Supernae dispositionis* edita tertio Nonas Maii 1514.

[2] Bulla *Immensa* edita undecimo Kal. Febr. 1587.

[3] Bulla *Onus* edita Idibus Maii 1591.

[4] Instructio circa modum servandi praescriptiones Conc. Trid. et Const. *Onus* Greg. XIV in processibus de eligendis Episcopis, edita an. 1627. – In Conc. Trid. hac de re agitur sess. VII, cap. I; sess. XXIV, cap. 2; sess. XXV, cap. I.

forma in eorum promotione servanda sapientissime constituerunt; Nobis tamen in primis memorare libet quae a piae memoriae Decessoribus Nostris Benedicto XIV [1] et Leone XIII [2] decreta sunt. Quorum alter methodum hac in re gravissima a priore invectam ab usu paulatim recessisse dolens, eam instaurare cogitans, inde a primo sui Pontificatus anno, Constitutione *Immortalis memoriae* peculiarem S. R. E. Cardinalium Congregationem instituit, cuius esset, salva manente in omnibus forma et ratione in electione et confirmatione Episcoporum exterarum regionum eousque a Sancta hac Sede servata, operam suam ad promotionem praeficiendorum Italiae dioecesibus sedulo praestare.

Providentissimi huius instituti salutaribus effectibus experientia comprobatis, vix dum, licet inviti, universalis Ecclesiae gubernacula, Deo disponente, tractanda suscepimus, ad illud perficiendum provehendumque animum intendimus. Quem in finem praefatam de eligendis Italiae Episcopis a Leone XIII fundatam Congregationem Supremae Sacrae Congregationi S. Officii, cui Ipsimet immediate praesidemus, coagmentantes, decernimus ac statuimus ut, servatis ex integro rationibus et formis, quae in electione Episcoporum pro locis Sacris Congregationibus de Propaganda Fide et Negotiorum Ecclesiasticorum Extraordinariorum subiectis, vel ubi peculiaribus Constitutionibus aut Concordatis res moderatur, in praesens adhibentur, ceterorum omnium Episcoporum

[1] Bulla *Ad Apostolicae* edita decimo sexto Kal. Nov. 1740, et *Gravissimum* edita die 18 Ian. 1757.

[2] Bulla *Immortalis memoriae* edita undecimo Kal. Oct. 1878.

delectus ac promotio eidem Supremae S. Officii Congregationi, veluti materia ipsius propria, deferatur.

Et quoniam huius Congregationis id proprium est, quod eius membra et officiales ad suum munus fideliter obeundum inviolatumque in omnibus et cum omnibus secretum servandum sub poena teneantur excommunicationis maioris latae sententiae, ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua nonnisi a Nobis atque a Nostris pro tempore Successoribus Romanis Pontificibus, privative etiam quoad S. Poenitentiariam ipsumque D. Cardinalem Poenitentiarium, praeterquam in articulo mortis, absolvi queant; eadem prorsus obligatione sub iisdem omnino poenis et sanctionibus teneri in posterum volumus atque expresse declaramus omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis ac praeeminentiae sint, quos in negocio de eligendis per supradictam Supremam S. Officii Congregationem Episcopis, quovis modo, ratione vel titulo partem habere contingat.

Ut autem eidem Supremae Congregationi in gravissimo hoc expediendo negocio certa et constans norma praesto foret; methodum ea in re sequendam, opportuna Instructione, singillatim describi curavimus; qua, praeter ea quae de accuratissima circa promovendorum fidem, vitam, mores prudentiamque inquisitione peragenda statuimus, in plenum vigorem revocavimus *periculum de doctrina,* quod ab ipsis promovendis, habita ratione praescriptionum S. Caroli Borromaei in Conc. Prov. Mediolan. I, p. 2, omnino faciendum praecipimus.

Quae quidem omnia ut per ipsammet Supremam Congregationem S. Officii plane adimpleri valeant, mandamus denique, ad quos spectat, ut Sedium Episcopalium, ut supra

non exceptarum, vacatio eidem in posterum, litteris ad ipsius Cardinalem Secretarium datis, quamprimum ac recto tramite notificetur.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

DE POPVLARI ACTIONE CHRISTIANA MODERANDA

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Fin dalla prima Nostra Enciclica all'Episcopato dell'Orbe, facendo eco a quanto i Nostri gloriosi Predecessori ebbero stabilito intorno all'azione cattolica del Laicato, dichiarammo lodevolissima questa impresa, ed ancor necessaria nelle presenti condizioni della Chiesa e della civile società. E Noi non possiamo non encomiare altamente lo zelo di tanti illustri personaggi, che da lungo tempo si diedero a questo nobile cómpito, e l'ardore di tanta eletta gioventù, che alacre è corsa a prestare in ciò l'opera sua. Il XIX Congresso Cattolico, tenuto testè a Bologna, e da Noi promosso e incoraggiato, ha sufficientemente mostrato a tutti la vigoria delle forze cattoliche, e quello che possa ottenersi di utile e salutare in mezzo alle popolazioni credenti, ove questa azione sia ben retta e disciplinata, e regni unione di pensieri, di affetti e di opere in quanti vi concorrono.

Ci reca però non lieve rammarico che qualche disparere, sorto in mezzo ad essi, abbia suscitato delle polemiche pur troppo vive, le quali, se non represse opportunamente, potrebbero scindere le medesime forze e renderle meno effi-

caci. Noi, che raccomandammo sopra tutto l'unione e la concordia degli animi prima del Congresso, perchè si potesse stabilire di comune accordo quanto si attiene alle norme pratiche dell'azione cattolica, non possiamo ora tacere. E poichè le divergenze di vedute nel campo pratico mettono capo assai facilmente in quello teoretico, ed anzi in questo necessariamente devono tenere il loro fulcro, è d'uopo rassodare i principî, onde tutta dev'essere informata l'azione cattolica.

Leone XIII di s. m., Nostro insigne Predecessore, tracciò luminosamente le norme dell'azione popolare cristiana nelle preclare Encicliche *Quod Apostolici muneris* del 28 Dicembre 1878, *Rerum novarum* del 15 Maggio 1891, e *Graves de communi* del 18 Gennaio 1901; e ancora in particolare Istruzione emanata per mezzo della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari il 27 Gennaio 1902.

E Noi che non meno del Nostro Antecessore vediamo il grande bisogno che sia rettamente moderata e condotta l'azione popolare cristiana, vogliamo che quelle prudentissime norme siano esattamente e pienamente osservate; e che nessuno quindi ardisca allontanarsene menomamente. — E però, a tenerle più facilmente vive e presenti, abbiamo divisato di raccoglierle come in compendio nei seguenti articoli, quale Ordinamento fondamentale dell'azione popolare cristiana, riportandole da quegli stessi Atti. Queste dovranno essere per tutti i cattolici la regola costante di loro condotta.

ORDINAMENTO FONDAMENTALE

DELL'AZIONE POPOLARE CRISTIANA

I.

La Società umana, quale Dio l'ha stabilita, è composta di elementi ineguali, come ineguali sono i membri del corpo umano: renderli tutti eguali è impossibile, e ne verrebbe la distruzione della medesima Società (Encycl. *Quod Apostolici muneris*).

II.

La eguaglianza dei vari membri sociali è solo in ciò che tutti gli uomini traggono origine da Dio Creatore; sono stati redenti da Gesù Cristo, e devono alla norma esatta dei loro meriti e demeriti essere da Dio giudicati, e premiati o puniti (Encycl. *Quod Apostolici muneris*).

III.

Di qui viene, che, nella umana Società, è secondo la ordinazione di Dio che vi siano principi e sudditi, padroni e proletari, ricchi e poveri, dotti e ignoranti, nobili e plebei, i quali, uniti tutti in vincolo di amore, si aiutino a vicenda a conseguire il loro ultimo fine in Cielo; e qui, sulla terra, il loro benessere materiale e morale (Encycl. *Quod Apostolici muneris*).

IV.

L'uomo ha sui beni della terra non solo il semplice uso, come i bruti; ma sì ancora il diritto di proprietà stabile: nè soltanto

proprietà di quelle cose, che si consumano usandole; ma eziandio di quelle cui l'uso non consuma (Encycl. *Rerum novarum*).

V.

È diritto ineccepibile di natura la proprietà privata, frutto di lavoro o d'industria, ovvero di altrui cessione o donazione; e ciascuno può ragionevolmente disporne come a lui pare (Encycl. *Rerum novarum*).

VI.

Per comporre il dissidio fra i ricchi ed i proletari fa mestieri distinguere la giustizia dalla carità. Non si ha diritto a rivendicazione, se non quando si sia lesa la giustizia (Encycl. *Rerum novarum*).

VII.

Obblighi di giustizia, quanto al proletario ed all'operaio, sono questi: prestare interamente e fedelmente l'opera che liberamente e secondo equità fu pattuita; non recar danno alla roba, nè offesa alla persona dei padroni; nella difesa stessa dei propri diritti astenersi da atti violenti, nè mai trasformarla in ammutinamenti (Encycl. *Rerum novarum*).

VIII.

Obblighi di giustizia, quanto ai capitalisti ed ai padroni, sono questi: rendere la giusta mercede agli operai; non danneggiare i loro giusti risparmi, nè con violenze, nè con frodi, nè con usure manifeste o palliate; dar loro libertà per compiere i doveri religiosi; non esporli a seduzioni corrompitrici ed a pericoli di scandali; non alienarli dallo spirito di famiglia e dall'amor del risparmio; non

imporre loro lavori sproporzionati alle forze, o mal confacenti coll'età o col sesso (Encycl. *Rerum novarum*).

IX.

Obbligo di carità de' ricchi e de' possidenti, è quello di sovvenire ai poveri ed agl' indigenti, secondo il precetto Evangelico. Il qual precetto obbliga sì gravemente, che nel dì del giudizio dell'adempimento di questo in modo speciale si chiederà conto, secondo disse Cristo medesimo (Matth. xxv) (Encycl. *Rerum novarum*).

X.

I poveri poi non devono arrossire della loro indigenza, nè sdegnare la carità de' ricchi, sopra tutto avendo in vista Gesù Redentore, che, potendo nascere fra le ricchezze, si fece povero per nobilitare la indigenza ed arricchirla di meriti incomparabili pel Cielo (Encycl. *Rerum novarum*).

XI.

Allo scioglimento della quistione operaia possono contribuir molto i capitalisti e gli operai medesimi con istituzioni, ordinate a porgere opportuni soccorsi ai bisognosi, e ad avvicinare ed unire le due classi fra loro. Tali sono le società di mutuo soccorso; le molteplici assicurazioni private; i patronati per i fanciulli, sopra tutto le corporazioni di arti e mestieri (Encycl. *Rerum novarum*).

XII.

A tal fine va diretta specialmente l'Azione popolare Cristiana o Democrazia Cristiana colle sue molte e svariate opere. Questa Democrazia Cristiana poi dev'essere intesa nel senso già autorevol-

mente dichiarato, il quale, lontanissimo da quello della *Democrazia Sociale,* ha per base i principî della fede e della morale cattolica, quello sopra tutto di non ledere in veruna guisa il diritto inviolabile della privata proprietà (Encycl. *Graves de communi*).

XIII.

Inoltre la Democrazia Cristiana non deve mai immischiarsi con la politica, nè dovrà mai servire a partiti ed a fini politici; non è questo il suo campo: ma essa dev'essere un'azione benefica a favore del popolo, fondata sul diritto di natura e sui precetti del Vangelo (Encycl. *Graves de communi*) (Istruz. della S. C. degli AA. EE. SS.).

I Democratici cristiani in Italia dovranno del tutto astenersi dal partecipare a qualsivoglia azione politica, che nelle presenti circostanze, *per ragioni di ordine altissimo,* è interdetta ad ogni cattolico (Istruz. cit.).

XIV.

In compiere le sue parti, la Democrazia cristiana ha obbligo strettissimo di dipendere dall'Autorità Ecclesiastica, prestando ai Vescovi ed a chi li rappresenta piena soggezione e obbedienza. Non è zelo meritorio, nè pietà sincera l'intraprendere anche cose belle e buone in sè quando non siano approvate dal proprio Pastore (Encyl. *Graves de communi*).

XV.

Perchè tale azione democratico-cristiana abbia unità d'indirizzo, in Italia, dovrà essere diretta dall'Opera de' Congressi e de' Comitati Cattolici; la quale Opera in tanti anni di lodevoli fatiche ha sì ben meritato della S. Chiesa, ed alla quale Pio IX e Leone XIII di s. m. affidarono l'incarico di dirigere il generale movimento

cattolico, sempre sotto gli auspici e la guida dei Vescovi (Encycl. *Graves de communi*).

XVI.

Gli scrittori cattolici, per tutto ciò che tocca gl'interessi religiosi e l'azione della Chiesa nella società, devono sottostare pienamente, d'intelletto e di volontà, come tutti gli altri fedeli, ai loro Vescovi, ed al Romano Pontefice. Devono guardarsi sopra tutto di prevenire, intorno a qualunque grave argomento, i giudizi della Sede Apostolica (Istruz. della S. C. degli AA. EE. SS.).

XVII.

Gli scrittori democratico-cristiani, come tutti gli scrittori cattolici, devono sottomettere alla preventiva censura dell'Ordinario tutti gli scritti, che riguardano la religione, la morale cristiana e l'etica naturale, in forza della Costituzione *Officiorum et munerum* (art. 41). Gli ecclesiastici poi, a forma della medesima Costituzione (art. 42), anche pubblicando scritti di carattere meramente tecnico, debbono previamente ottenere il consenso dell'Ordinario (Istruz. della S. C. degli AA. EE. SS.).

XVIII.

Debbono fare inoltre ogni sforzo ed ogni sacrifizio perchè regnino fra loro carità e concordia, evitando qualsivoglia ingiuria o rimprovero. Quando sorgano motivi di dissapori, anzichè pubblicare cosa alcuna sui giornali, dovranno rivolgersi all'Autorità Ecclesiastica, la quale provvederà secondo giustizia. Ripresi poi dalla medesima, obbediscano prontamente, senza tergiversazioni e senza menarne pubbliche lagnanze; salvo, nei debiti modi ed ove sia richiesto dal caso, il ricorso all'Autorità superiore (Istruz. della S. C. degli AA. EE. SS.).

XIX.

Finalmente gli scrittori cattolici, nel patrocinare la causa dei proletari e de'poveri, si guardino dall'adoperare un linguaggio che possa ispirare nel popolo avversione alle classi superiori della società. Non parlino di rivendicazioni e di giustizia, allorchè trattasi di mera carità, come innanzi fu spiegato. Ricordino che Gesù Cristo volle unire tutti gli uomini col vincolo del reciproco amore, che è perfezione della giustizia, e che porta l'obbligo di adoperarsi al bene reciproco (Istruz. della S. C. degli AA. EE. SS.).

Le predette norme fondamentali, Noi, di moto proprio e di certa scienza, colla Nostra Apostolica autorità le rinnoviamo in ogni loro parte, ed ordiniamo che vengano trasmesse a tutti i Comitati, Circoli ed Unioni Cattoliche di qualsivoglia natura e forma. Tali società dovranno tenerle affisse nelle loro sedi, e rileggerle spesso nelle loro adunanze. Ordiniamo inoltre che i giornali cattolici le pubblichino integralmente e dichiarino di osservarle; e le osservino infatti religiosamente: altrimenti siano gravemente ammoniti, e se ammoniti non si emendassero, verranno dall'Autorità Ecclesiastica interdetti.

Siccome poi a nulla valgono parole e vigoria d'azione, se non sieno precedute, accompagnate e seguite costantemente dall'esempio; la necessaria caratteristica, che deve rifulgere in tutti i membri di qualunque Opera cattolica, è quella di manifestare apertamente la fede colla santità della vita, colla illibatezza del costume e colla scrupolosa

osservanza delle leggi di Dio e della Chiesa. E questo perchè è il dovere d'ogni cristiano, e poi anche perchè *chi ci sta di contro, abbia rossore, non avendo nulla, onde dire male di noi* (Tit. II, 8).

Di queste Nostre sollecitudini pel bene comune dell'azione cattolica, specialmente in Italia, speriamo, colla divina benedizione, copiosi e felici frutti.

Dato in Roma presso S. Pietro il 18 Dicembre 1903, anno primo del Nostro Pontificato.

PIVS PP. X

AN. MDCCCCIV.

DECRETVM

MARIANNENSIS ET GOYASENSIS
IN BRASILIANA REPVBLICA
NOVAE FINIVM DESIGNATIONIS

Spirituali fidelium regimini quam maxime interest, ut praesulum, qui dioecesibus gubernandis praeficiuntur, auctoritas et iurisdictio certa omnino sit nullisque obnoxia dubiis. Ex iurisdictione enim rectorum ecclesiarum, actorum ac legum pendet validitas ipsorumque Sacramentorum administratio. Cum autem Episcopi ad certum populum regendum mittantur, sicut in ipsis apostolica requiritur missio, quae totius spiritualis iurisdictionis fons una et origo extat a Christo Domino instituta; ita pariter clare pateat oportet, quem in locum ipsi eam, quam acceperunt, exercere possint ac valeant iurisdictionem. Dioeceses proinde certis circumscribi limitibus necesse est, eum etiam in finem, ne improbi, quas pro suis criminibus luere debent poenas, effugere possint. Quare cum RR. PP. DD. Silverius Gomes Pimenta et Eduardus Duarte Silva, ille Mariannensis, alter Goyasensis dioecesis in Brasiliana Republica Episcopus, ad viam dubitationibus praecludendam circa suarum dioecesium fines

consilium inter se inierint easdem novis iisque certioribus et aptioribus limitibus circumscribendi, atque litteris die XVIII Octobris anno elapso datis, SSm̃um Dominum Nostrum Pium Papam X exoraverint ut novos a se descriptos fines apostolica auctoritate firmare vellet, Sanctitas Sua, cunctis, quae in huiusmodi negotiis inspicienda sunt, matura deliberatione examinatis atque perpensis, rei sacrae procurationi ac fidelium spirituali regimini meliori qua fieri potest ratione prospicere cupiens, dictorum Praesulum vota benigne excipere dignata est; et de Apostolicae potestatis plenitudine. omnes et singulos, quibus praesens Decretum favet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis sive a iure, sive ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, suppressis limitibus, quibus hactenus dioeceses Mariannensis et Goyasensis ad invicem separabantur, utendo etiam facultate Sedi Apostolicae expresse reservata in Apostolicis Litteris *Ad universas Orbis Ecclesias* die XXVII Aprilis anno Domini MDCCCXCII, datis, novas circumscriptiones in dioecesibus Brasilianae Reipublicae, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, peragendi quandocumque id in Domino expedire visum fuerit, atque derogato, quatenus opus sit, quorumcumque hac in re interesse habentium, vel habere praesumentium consensui, supradictas dioeceses novis finibus circumscribendas decrevit in hunc, qui sequitur, modum: Montes continui vulgo Serra da Marcella, ut nunc, et Serra da Canastra, per iugum, quod vocant Espigâo-Mestre unam ab altera duas dioeceses divident usque

ad fluvium, quem Rio-Grande dicunt. Prope tamen pagum, cui nomen « Sancto Joao Baptista da Canastra », linea, quam praedicti montes describunt, in Orientem parumper deflectetur per fluvios, quorum unum Samburà et alterum a Sancto Antonio appellant, ita ut pagus ille, qui nunc partim Mariannensi partim Goyasensi subditur dioecesi, in posterum una cum territorio fluminibus Samburà et Sancto Antonio comprehenso totus ad solam pertineat Goyasensem dioecesim, cui pariter subiectae erunt regiones omnes, quae ad occidentem praedictorum montium Serra da Marcella et Serra da Canastra vergunt, dum Mariannensi Episcopali Ecclesiae addictae remanebunt reliquae omnes, quae Orientem versus existunt. Ceteris in partibus Mariannensis et Goyasensis dioecesium fines iidem erunt, ac nunc sunt. Documenta vero respicientia loca et personas, quae nova hac finium designatione ex unius dioecesis territorio et iurisdictione in alterius transierunt, iussit Sanctitas Sua a Tabulario dioecesis, in quo hactenus reposita fuerunt, extrahi, et Archivo alterius tradi, ut ibi pro opportunitate custodiantur et asserventur. In horum denique executorem Beatitudo Sua deputavit R. P. D. Iulium Tonti, Archiepiscopum titularem Ancyranum et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, iniuncta eidem obligatione intra sex menses mittendi ad hanc Sacram Congregationem exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, iussitque praesens in hanc rem edi decretum consistoriale, perinde valiturum ac si Litterae Apo-

stolicae in forma Brevis vel sub plumbo super praemissis expeditae fuissent, et Decretum ipsum referri inter Acta Sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die x Ianuarii, anno Domini MDCCCCIV.

Pro R. P. D. SECRETARIO,
IVLIVS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

EPISTOLA

À NOTRE CHER FILS

FRANÇOIS XAVIER SCHOEPFER

EVÊQUE DE TARBES

Cher Fils,

La première fois que Nous avons visité les jardins du Vatican Nous avons été surpris de devoir constater que devant la sainte image de la Vierge de Lourdes il n'y avait pas une lampe ou autre signe de culte. Nous en avons parlé à Mgr. Radini-Tedeschi lors de son retour à Rome en lui exprimant Notre désir que la grotte fût embellie et pourvue de tout le nécessaire pour pouvoir y célébrer la Sainte Messe. — Mais puisque vous, cher Fils, en union avec les fidèles de votre diocèse, vous avez le mérite d'avoir conçu l'idée de faire ce beau don à Notre vénéré prédécesseur Léon XIII de sainte mémoire, et que par votre lettre du 16 courant vous exprimez le désir d'embellir la grotte de Lourdes au Vatican, il Nous est doux dire toute Notre reconnaissance et d'implorer du Ciel l'abondance des grâces divines pour tous ceux qui porteront leur concours à la réalisation de Notre désir. — Oui, Nous avons la confiance, la Vierge Immaculée, dont l'intercession est si puissante à l'ombre de la grotte bénie de Massabielle, acceptera ce témoignage de

piété filiale, et dans le courant de cette année iubilaire Elle exaucera les prières qui Lui seront adressées ici comme à Lourdes, pour la conversion des pécheurs et pour la paix et la liberté de la Sainte Eglise. Merci, donc, cher fils, de votre noble et généreuse offrande, et comme gage de Notre reconnaissance et de Notre affection spéciale recevez pour vous et pour tous ceux, que Dieu a confiés aux soins de votre zèle pastoral, la bénédiction Apostolique.

Rome, du Vatican le 21 Janvier 1904.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
SVAM PONTIFEX ERGA ROMANAM A S. THOMA AQVINATE ACADEMIAM
GRATIAM TESTATVR, ET CVLTVM DOCTRINAE THOMISTICAE
CATHOLICIS ORBIS SCHOLIS COMMENDAT

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In praecipuis laudibus Leonis XIII fel. rec. Decessoris Nostri quisque aequus rerum aestimator hoc ponit, quod is adolescentis Cleri studia ordinare convenienter temporibus aggressus, Sancti Thomae Aquinatis disciplinam in primis instaurandam summa contentione curaverit. Etenim novo ingeniorum cursu commotus, quum videret genera quaedam philosophandi ac de gravioribus doctrinis disputandi invalescere, quae catholicae veritati nequaquam congruerent, mature occurrendum periculo censuit, quod inde alumnis sacrorum impenderet; eo magis quod statam rationem studiorum, Ecclesiae iudicio ac saeculorum usu probatam, animadverterat plurifariam ex cupidine recentiora consectandi defecisse. Itaque institutis praeceptisque philosophiae christianae ac theologiae Ducem Magistrumque suum restituit Doctorem Angelicum, cuius divinum ingenium arma

elaborasset ad tuendam veritatem, multiplicesque errores hac etiam aetate profligandos perquam idonea: siquidem quae, nati ad utilitatem omnium temporum, Sancti Patres Doctoresque Ecclesiae tradiderunt principia sapientiae, ea nemo Thoma aptius, colligendo ex eorum scriptis, composuit, nemo luculentius illustravit. Haudquaquam tamen Pontifex bonas scientiae accessiones, quas hodierna pareret studiorum agitatio, neglexit; quin imo, ratus clericos non posse digne suum tenere locum, nisi apparatiore quodam doctrinae commeatu instruerentur, idcirco eorum de gravioribus rebus institutionem opportunis eruditionis incrementis ornatam voluit. Iamvero ad fovendam, quam Encyclicis litteris « *Aeterni Patris* » indixerat, instaurationem disciplinae Thomisticae, subinde in Urbe Roma, utpote quae catholico orbi hoc etiam in genere exemplo deberet esse, propriam Academiam instituit, a Sancto Thoma Aquinate eam nuncupans, cui propositum esset explicare, tueri, propagare doctrinam, praesertim de philosophia Angelici Doctoris. Academiam ipsam annuis reditibus, qui satis essent ad stabilitatem eius confirmandam, munificus auxit. Eidem parem, quae ceteris vel Athenaeis vel Lyceis magnis attributa esset, attribuit facultatem promovendi ad doctoris in philosophia gradum suos alumnos, qui emenso studiorum curriculo laudabile scientiae specimen sollemni periculo dedissent. Denique anno MDCCCXCV statuta, quae Academiae ad tempus praescripserat, temperando, certas ei leges, quas diutinum experimentum commodas fore suasisset, in perpetuum dixit.

Ad Nos quod attinet, quando Pontificatus Noster incidit in tempora, traditae a patribus sapientiae inimica fortasse

magis, quam unquam antea, omnino oportere ducimus, ut quae Decessor illustris de cultu philosophiae doctrinaeque Thomisticae constituisset, ea religiosissime servanda atque etiam in spem uberiorum fructuum provehenda curemus. Huius rei gratia, romanam a S. Thoma Academiam, quae in ceteris id genus institutis principem sibi locum iure vindicat, uti peculiari quadam Leonis floruit, similiter Nostra posthac florere providentia volumus.

Equidem novimus, ex eo coetu sodales quam diligenter utiliterque in mandata sibi provincia versari consueverint, vel Aquinatis sententiam doctis commentariis illustrando, vel eius cogitata evolvendo atque ex principiis ipsius nova investigando, vel eiusdem trutina pensando recentiorum placita philosophorum; propterea que gratulamur eis libenter, quod germanas philosophiae progressiones non mediocriter adiuvent. Verum ne nobilissimae contentioni diuturnitas remissionem afferat, magnopere cupimus, ut voce et auctoritate Nostra spiritus sumant etiam alacriores, ac tanquam renovatis auspiciis in propositum incumbant. Quae tamen cohortatio non ad hos tantummodo spectet, sed pertineat, uti debet, ad omnes, quicumque in catholicis orbis terrarum scholis philosophiam tradunt: nimirum curae habeant, a via et ratione Aquinatis nunquam discedere, in eandemque quotidie studiosius insistant. Vehementer autem universis auctores sumus, ut sollertiam laboresque suos conferant maxime ad coërcendam pro virili parte communem illam rationis fideique pestem, quae longe lateque serpit: *neorationalismum* dicimus, cuius ne perniciosos afflatus sacra praesertim iuventus vel minimum sentiat, omni ope atque opera providendum est.

Ceterum statuta, bona, privilegia, iura, quae Decessor Noster Academiae romanae a Sancto Thoma dedit et attribuit, ea Nos omnia et singula rata et firma esse volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII mensis Ianuarii, festo S. Raymundi de Pennafort, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri primo.

A. CARD. **MACCHI.**

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
TERRITORIVM DE JOLIETTE SEPARATVR E DIOECESI MARIANOPOLITANA
ET ERIGITVR IN DISTINCTAM DIOECESIM

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Pastorale Romani Pontificis officium postulat, ut in regionibus potissimum peramplo terrarum marisque spatio a catholici orbis centro disiunctis ea sedulo studio decernantur, quae christiano nomini provehendo aeternaeque fidelium saluti curandae bene, prospere, ac feliciter eveniant. Iamvero cum Archidioecesis Marianopolitana in Canada amplitudine territorii et catholicorum numero conspicua regionem quandam ad Septentrionem amplectatur, quae colonorum numero in dies percrebrescente peculiarem curam quoad spirituales populi necessitates requirere videtur, atque ipse Archiepiscopus Marianopolitanus Nos enixis precibus flagitaverit, ut regionem illam e sua Archidioecesi detractam in peculiarem Episcopalem Sedem erigere de Apostolica Nostra Auctoritate dignaremur, Nos, collatis consiliis cum Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, memorati Antistitis votis annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae

hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium vi ab Archidioecesi Marianopolitana territorium separamus, quod amplectitur tres Comitatus vulgo nuncupatos *de Joliette*, *Borthier*, et *Montcolm*, nec non quatuor parochias existentes in Comitatu vulgo de l'Assumption cum actualibus limitibus, quae respective nuncupantur *ab Epiphania*, *S. Rochi de l'Achigan*, *S. Henrici de Mascouche*, et *S. Lini des Laurentides*. Ex hoc territorio novam effingimus Dioecesim distinctamque, eiusque sedem Episcopalem erigimus in civitate *Joliette* appellata, eique Joliettensi nomen facimus, et Marianopolitanae Archidioecesi suffraganeam volumus. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Ianuarii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. CARD. MACCHI.

SACRA CONGREGATIO
PRAEPOSITA INDVLGENTIIS ET SS. RELIQVIIS
CVM S. RITVVM CONGREGATIONE PERPETVO CONIVNGITVR

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Quae in Ecclesiae bonum integre provehendum spectant et ad animarum salutem valde conferre noscuntur, ea cuncta, pro Apostolici muneris sollicitudine, Pontificum decessorum vestigiis, ut par est, religiose inhaerentes, Nos etiam omni opera providere et ad exitum perducere contendimus. — Hinc fit, ut ad sacrum quoque Consilium, cuius est de Indulgentiis Sanctorumque Reliquiis cognoscere, speciatim cogitationem convertamus, eique, ad diuturnam stabilemque formam fructuosius perficiendam, sedulum curarum Nostrarum officium optemus impertiri. Hoc sane permulta suadent, sed ipsa, imprimis, sacri eiusdem Consilii dignitas, iure veluti suo, maxime requirit. Vix enim attinet dicere, quanti semper momenti res sit habita, indulgentiarum thesaurum naviter inviolateque custodire, de Sanctorum Reliquiis earumque veneratione recte peragere, gravissima alia in id genus munia pie adimplere, deque normis iam statutis, ad temporum rerumque usum et necessitatem, iura declarare. Has profecto ob causas Romani Pontifices facere non potuerunt,

quin, reputando experiendoque, quanto maiore valerent accuratione, huius rei prosperitati indesinenter consulerent. Nam, ut praetereamus quae Innocentius III [1] et Pius IV [2] caeterique plures, praesertim post Synodi Tridentinae decreta [3], sapienter caverunt, neminem plane latet quas tulerint leges Clemens VIII et Clemens IX, qui de peculiari delectorum quorundam S. R. E. Cardinalium Congregatione instituenda peropportunum oppido consilium inierunt; quasque deinceps regulas Clemens XIII, Benedictus XIV, Leo XII, Pius IX et Leo XIII, datis in id haud semel Litteris, conficiendas curaverint. Scilicet, rei gravitate permoti, ut maior in hoc Apostolica evigilaret diligentia, conspiciebant apprime Antecessores Nostri de facto quidem agi, quod, in Christiani nominis decus, permagni interesset, et ad uberem Christifidelium utilitatem pertineret potissimum. Quapropter eadem Nos impellit causa, ut partem providentiae Nostrae non postremam idem sibi opus vindicet. — Quo autem plurimum auxilii, pro sanctis Ecclesiae institutis, possit accedere, illud Nobis praecipue desiderandum animo obversatur, ut, nempe, quae arctissimâ quadam obiecti, spiritus, officiorum, methodique gerendae, vel identitate, vel saltem affinitate et similitudine inter se adiunguntur, ea simul in unum etiam corpus coalescere et coagmentari spectentur; prouti ratio et naturalis ordo expostulat, eventa quotidie comprobant, atque experientia perspicuae esse opportunitatis omnino confirmat. *Vir-*

[1] Cap. *Cum ex eo;* De Reliq. et vener. Sanctorum.

[2] Bull. *Decet Roman. Pontif.* die 7 Nov. 1562.

[3] Conc. Trid. Sess. 21; Decr. *De Indulg.*

tus, enim, ut S. Thomas [1] docet, *quanto est magis unita, tanto est fortior, et per separationem minuitur.* Ac propterea, nihil finis obtinendi efficacitatem alacrius promovere dignoscitur, quam conspirantium virium cumulata possessio; nihil optima incolumitatis adiumenta in bonum melius devincit, quam reflorens voluntatum communio; nihil copiam ad fructus efferendos salutares potiorem haurit, quam facultatum in societatem adiunctio. — Porro non est cur pluribus ostendamus, huiusmodi similitudinem et affinitatem vel maxime vigere inter S. Congregationem Indulgentiis ac SS. Reliquiis praepositam et S. Rituum Congregationem, cuius id proprium est, ut de Dei et Sanctorum cultu, praecipuo sibi munere expediendo, pertractet, atque iis, quae in hanc rem obveniunt, assiduo sollerterque prospiciat. Quae cum sic se habeant, ut quod e re penitus esse censemus, id tandem a Nobis absolvatur, et spes utilitatum exploratarum, quas Romana instituta gignere nemo non videt, plenius in dies augeatur, omniaque ex votis salubrius cedant, Nos, motu proprio, certa scientiâ, causâque mature perpensâ decernimus et statuimus, ut Congregatio Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita cum S. Rituum Congregatione in posterum tempus perpetuo coniungatur; salvis ex integro manentibus sui muneris, officialium et facultatum ratione et forma hucusque servatis. Hunc praeterea in finem, dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Aloisio Tripepi, ipsius Congregationis Indulgent. et SS. Reliq. Praefecto, munus etiam Pro-Praefecti S. Rituum Congregationis conferimus et demandamus. —

[1] 2.ª 2.ªe Quaest. xxxvii, a. 2, ad 3um.

Consiliis hisce curisque Nostris exitum, hoc praesertim temporum cursu, perutilem non defore summopere confidimus, benignitate annuente Dei providentissimi. — Praesens autem decretum, ratum et firmum deinceps consistere, et auctoritatis Nostrae Apostolicae robore muniri volumus, edicimus et declaramus, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVIII Ianuarii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

ABOLETVR LEX
NE CANONICI PETRIANI IN VATICANAM BASILICAM
SINE CHORALI VESTE INGREDIANTVR

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXI, per Litteras: *Vineam Domini Sabaoth*, praecepit Basilicae Vaticanae Canonicis ut Basilicam eandem nunquam ingrederentur, nisi chorali habitu induti. — Praeceptum illud confirmavit Nicolaus III, item Decessor Noster, Bulla: *Civitatem sanctam Ierusalem.* Romani vero Pontifices Eugenius IV, Litteris: *Si universis;* Nicolaus V, Litteris: *Quanto prae ceteris;* et Paulus V, Litteris: *Super Cathedram,* idem praeceptum nedum confirmarunt, sed servandum insuper voluerunt sub excommunicationis poena a contrafacientibus ipso facto incurrenda.

Nos, cupientes eisdem dilectis filiis Canonicis Basilicae Sancti Petri et cetero clero, ibidem inservienti, benevolentiam Nostram testari, supradictum praeceptum non ingrediendi Basilicam eandem nisi chorali amictu, nec non latam in transgressores excommunicationis poenam, tenore praesentium, revocamus, supprimimus et abrogamus.

Monemus tamen ne quis unquam Chorum ingredi audeat sine chorali veste; simulque hortamur ut mature omnes in

choro adsint, atque ita choralibus functionibus ab ipso initio interesse queant.

Libet porro occasione uti, ut eosdem dilectos filios Canonicos, Beneficiatos et Clericos omnes eiusdem Basilicae impense, si opus est, excitemus ad divinum Officium digne, attente ac devote recitandum, praecipue vero ad festinationem omnem cavendam, qua nihil magis attentioni ac devotioni infestius, nihil magis audientium fidelium aedificationi contrarium.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI Ianuarii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LITTERAE ENCYCLICAE

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad diem illum laetissimum, brevi mensium intervallo, aetas nos referet, quo, ante decem quinquennia, Pius IX decessor Noster, sanctissimae memoriae pontifex, amplissima septus purpuratorum patrum atque antistitum sacrorum corona, magisterii inerrantis auctoritate, edixit ac promulgavit esse a Deo revelatum beatissimam virginem Mariam, in primo instanti suae Conceptionis, ab omni originalis culpae labe fuisse immunem. Promulgationem illam quo animo per omnium terrarum orbem fideles, quibus iucunditatis publicae et gratulationis argumentis exceperint nemo est qui ignoret; ut plane, post hominum memoriam, nulla voluntatis significatio data sit tum in augustam Dei Matrem tum in Iesu Christi Vicarium, quae vel pateret latius, vel communiori concordia exhiberetur. — Iam quid spe bona nos prohibet, Venerabiles Fratres, dimidio quamvis saeculo interiecto, fore ut, renovata

immaculatae Virginis recordatione, laetitiae illius sanctae veluti imago vocis in animis nostris resultet, et fidei atque amoris in Dei Matrem augustam praeclara longinqui temporis spectacula iterentur? Equidem ut hoc aveamus ardenter pietas facit, quam Nos in Virginem beatissimam, summa cum beneficentiae eius gratia, per omne tempus fovimus: ut vero futurum certo expectemus facit catholicorum omnium studium, promptum illud semper ac paratissimum ad amoris atque honoris testimonia iterum iterumque magnae Dei Matri adhibenda. Attamen id etiam non diffitebimur, desiderium hoc Nostrum inde vel maxime commoveri quod, arcano quodam instinctu, praecipere posse Nobis videmur, expectationes illas magnas brevi esse explendas, in quas et Pius decessor et universi sacrorum antistites, ex asserto solemniter immaculato Deiparae Conceptu, non sane temere, fuerunt adducti.

Quas enimvero ad hunc diem non evasisse, haud pauci sunt qui querantur, ac Ieremiae verba subinde usurpent: *Expectavimus pacem, et non erat bonum: tempus medelae, et ecce formido* [1]. Ast quis eiusmodi *modicae fidei* non reprehendat, qui Dei opera vel introspicere vel expendere ex veritate negligunt? Ecquis enim occulta gratiarum munera numerando percenseat, quae Deus Ecclesiae, conciliatrice Virgine, hoc toto tempore impertiit? Quae si praeterire quis malit, quid de vaticana synodo existimandum tanta temporis opportunitate habita; quid de inerranti pontificum magisterio tam apte ad mox erupturos errores adserto; quid demum de novo et inaudito pietatis aestu, quo ad Christi Vicarium, colendum

[1] Ier. VIII, 15.

coram, fideles ex omni genere omnique parte iam diu confluunt? An non miranda Numinis providentia in uno alteroque Decessore Nostro, Pio videlicet ac Leone, qui, turbulentissima tempestate, eâ, quae nulli contigit, pontificatus usurâ, Ecclesiam sanctissime administrarunt? Ad haec, vix fere Pius Mariam ab origine labis nesciam fide catholica credendam indixerat, quum in oppido Lourdes mira ab ipsa Virgine ostenta fieri coepta: exinde molitione ingenti et opere magnifico Deiparae Immaculatae excitatae aedes; ad quas, quae quotidie, divina exorante Matre, patrantur prodigia, illustria sunt argumenta ad praesentium hominum incredibilitatem profligandam. — Tot igitur tantorumque beneficiorum testes, quae, Virgine benigne implorante, contulit Deus quinquagenis annis mox elabendis; quidni speremus *propiorem esse salutem nostram quam cum credidimus?* eo vel magis, quod divinae Providentiae hoc esse experiendo novimus ut extrema malorum a liberatione non admodum dissocientur. *Prope est ut veniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, et eliget adhuc de Israël* [1]; ut plane spes sit nos etiam brevi tempore inclamaturos: *Contrivit Dominus baculum impiorum. Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exultavit* [2].

Anniversarius tamen dies, quinquagesimus ab adserto intaminato Deiparae conceptu, cur singularem in christiano populo ardorem animi excitare debeat, ratio Nobis extat potissimum, Venerabiles Fratres, in eo, quod superioribus

[1] Isai. XIV, 1.
[2] Isai. XIV, 5 et 7.

Litteris encyclicis proposuimus, *instaurare* videlicet *omnia in Christo*. Nam cui exploratum non sit nullum, praeterquam per Mariam, esse certius et expeditius iter ad universos cum Christo iungendos, perque illum perfectam filiorum adoptionem assequendam ut simus sancti et immaculati in conspectu Dei? Profecto, si vere Mariae dictum: *Beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino* [1], ut nempe Dei Filium conciperet pareretque; si idcirco illum excepit utero, qui Veritas naturâ est, ut *novo ordine, nova nativitate generatus... invisibilis in suis, visibilis* fieret *in nostris* [2]: quum Dei Filius, factus homo, *auctor* sit *et consummator fidei nostrae;* opus est omnino sanctissimam eius Matrem mysteriorum divinorum participem ac veluti custodem agnoscere, in qua, tamquam in fundamento post Christum nobilissimo, fidei saeculorum omnium extruitur aedificatio.

Quid enim? an non potuisset Deus restitutorem humani generis ac fidei conditorem aliâ, quam per Virginem, viâ impertiri nobis? Quia tamen aeterni providentiae Numinis visum est ut Deum-Hominem per Mariam haberemus, quae illum, Spiritu Sancto foecunda, suo gestavit utero; nobis nil plane superest, nisi quod de Mariae manibus Christum recipiamus. Hinc porro in Scripturis sanctis, quotiescumque *de futura in nobis gratia prophetatur;* toties fere Servator hominum cum sanctissima eius Matre coniungitur. Emittetur agnus dominator terrae, sed de petra deserti: flos ascendet, attamen de radice Iesse. Mariam utique, serpentis caput conterentem,

[1] Luc. I, 45.
[2] S. Leo M. Serm. 2. *de Nativ. Domini*, c. 2.

prospiciebat Adam, obortasque maledicto lacrymas tenuit. Eam cogitavit Noë, arca sospita inclusus; Abraham nati nece prohibitus; Iacob scalam videns perque illam ascendentes et descendentes angelos; Moses miratus rubum, qui ardebat et non comburebatur; David exsiliens et psallens dum adduceret arcam Dei; Elias nubeculam intuitus ascendentem de mari. Quid multa? Finem legis, imaginum atque oraculorum veritatem in Maria denique post Christum reperimus.

Per Virginem autem, atque adeo per illam maxime, aditum fieri nobis ad Christi notitiam adipiscendam, nemo profecto dubitabit qui etiam reputet, unam eam fuisse ex omnibus, quacum Iesus, ut filium cum matre decet, domestico triginta annorum usu intimaque consuetudine coniunctus fuit. Ortus miranda mysteria, nec non Christi pueritiae, atque illud in primis assumptionis humanae naturae, quod fidei initium ac fundamentum est, cuinam latius patuere quam Matri? Quae quidem non ea modo *conservabat conferens in corde suo* quae Bethlehem acta, quaeve Hierosolymis in templo Domini; sed Christi consiliorum particeps occultarumque voluntatum, vitam ipsam Filii vixisse dicenda est. Nemo itaque penitus ut illa Christum novit; nemo illâ aptior dux et magister ad Christum noscendum.

Hinc porro, quod iam innuimus, nullus etiam hac Virgine efficacior ad homines cum Christo iungendos. Si enim, ex Christi sententia, *haec est autem vita aeterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum* [1]; per Mariam vitalem Christi notitiam adipiscentes, per Mariam

[1] Ioann. XVII, 3.

pariter vitam illam facilius assequimur, cuius fons et initium Christus.

Quot vero quantisque de caussis Mater sanctissima haec nobis praeclara munera largiri studeat, si paullisper spectemus; quanta profecto ad spem nostram accessio fiet!

An non Christi mater Maria? nostra igitur et mater est. — Nam statuere hoc sibi quisque debet, Iesum, qui Verbum est caro factum, humani etiam generis servatorem esse. Iam, qua Deus-Homo, concretum Ille, ut ceteri homines, corpus nactus est: qua vero nostri generis restitutor, *spiritale* quoddam corpus atque, ut aiunt, *mysticum*, quod societas eorum est, qui Christo credunt. *Multi unum corpus sumus in Christo* [1]. Atqui aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret sospitator. Quamobrem Angelus pastoribus dixit: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus* [2]. In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus sibi assumpsit et *spiritale* simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum *qui credituri erant in eum.* Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, *membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius* [3], de Mariae utero egressi sumus, tamquam corporis

[1] Rom. XII, 5.
[2] Luc. II, 11.
[3] Ephes. V, 30.

instar cohaerentis cum capite. Unde, spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostrûm omnium mater est. *Mater quidem spiritu..., sed plane mater membrorum Christi, quod nos sumus* [1]. Si igitur Virgo beatissima Dei simul atque hominum parens est, ecquis dubitet eam omni ope adniti ut Christus, *caput corporis Ecclesiae* [2], in nos sua membra, quae eius sunt munera infundat, idque cumprimis ut eum noscamus et *ut vivamus per eum?* [3].

Ad haec, Deiparae sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod *nascituro ex humanis membris Unigenito Deo carnis suae materiam* ministravit [4], qua nimirum saluti hominum compararetur hostia; verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque, atque adeo, stato tempore, sistendae ad aram. Hinc Matris et Filii nunquam dissociata consuetudo vitae et laborum, ut aeque in utrumque caderent Prophetae verba: *Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus* [5]. Quum vero extremum Filii tempus advenit, *stabat iuxta crucem Iesu Mater eius,* non in immani tantum occupata spectaculo, sed plane gaudens quod *Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur, et tantum etiam compassa est, ut, si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, ipsa multo libentius sustineret* [6]. — Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, *pro-*

[1] S. Aug., L. *de S. Virginitate*, c. 6.
[2] Coloss. I, 18.
[3] I. Ioann. IV, 9.
[4] S. Bed. Ven., L. IV, in Luc. XI.
[5] Ps. XXX, 11.
[6] S. Bonav. I. Sent. d. 48, ad Litt. dub. 4.

meruit illa *ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret* [1], atque ideo universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit.

Equidem non diffitemur horum erogationem munerum privato proprioque iure esse Christi; siquidem et illa eius unius morte nobis sunt parta, et Ipse pro potestate mediator Dei atque hominum est. Attamen, pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustae datum est, ut sit *totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix* [2]. Fons igitur Christus est, et *de plenitudine eius nos omnes accepimus* [3]; *ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis... augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate* [4]. Maria vero, ut apte Bernardus notat, *aquaeductus* est [5]; aut etiam collum, per quod corpus cum capite iungitur itemque caput in corpus vim et virtutem exerit. *Nam ipsa est collum Capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori eius mystico communicantur* [6]. Patet itaque abesse profecto plurimum ut nos Deiparae supernaturalis gratiae efficiendae vim tribuamus, quae Dei unius est. Ea tamen, quoniam universis sanctitate praestat coniunctioneque cum Christo, atque a Christo ascita

[1] Eadmeri Mon. *De Excellentia Virg. Mariae*, c. 9.

[2] Pius IX in Bull. *Ineffabilis.*

[3] Ioann. I, 16.

[4] Ephes. IV, 16.

[5] Serm. de temp., in Nativ. B. V., *de Aquaeductu*, n. 4.

[6] S. Bernardin. Sen., Quadrag. *de Evangelio aeterno,* Serm. X, a. 3, c. 3.

in humanae salutis opus, *de congruo,* ut aiunt, promeret nobis quae Christus *de condigno* promeruit, estque princeps largiendarum gratiarum ministra. *Sedet* Ille *ad dexteram maiestatis in excelsis* [1]; Maria vero adstat regina a dextris eius, *tutissimum cunctorum periclitantium perfugium et fidissima auxiliatrix, ut nihil sit timendum nihilque desperandum ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente* [2].

His positis, ut ad propositum redeamus, cui Nos non iure recteque affirmasse videbimur, Mariam, quae a Nazarethana domo ad *Calvariae locum* assiduam se Iesu comitem dedit, eiusque arcana cordis ut nemo alius novit, ac thesauros promeritorum eius materno veluti iure administrat, maximo certissimoque esse adiumento ad Christi notitiam atque amorem? Nimium scilicet haec comprobantur ex dolenda eorum ratione, qui, aut daemonis astu aut falsis opinionibus, adiutricem Virginem praeterire se posse autumant! Miseri atque infelices, praetexunt se Mariam negligere, honorem ut Christo habeant: ignorant tamen non *inveniri puerum nisi cum Maria matre eius.*

Quae cum ita sint, huc Nos, Venerabiles Fratres, spectare primum volumus, quae modo ubique apparantur sollemnia Mariae sanctae ab origine immaculatae. Nullus equidem honor Mariae optabilior, nullus iucundior quam ut noscamus rite et amemus Iesum. Sint igitur fidelium celebritates in templis, sint festi apparatus, sint laetitiae civitatum; quae res omnes non mediocres usus afferunt ad pietatem fovendam. Verumtamen nisi his voluntas animi accedat, formas habebimus,

[1] Hebr. I, 3.
[2] Pius IX in Bull. *Ineffabilis.*

quae speciem tantum offerant relligionis. Has Virgo quum videat, iusta reprehensione Christi verbis in nos utetur: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me* [1].

Nam ea demum est germana adversus Deiparentem relligio, quae profluat animo; nihilque actio corporis habet aestimationis in hac re atque utilitatis, si sit ab actione animi seiugata. Quae quidem actio eo unice pertineat necesse est, ut divini Mariae Filii mandatis penitus obtemperemus. Nam si amor verus is tantum est, qui valeat ad voluntates iungendas; nostram plane atque Matris sanctissimae parem esse voluntatem oportet, scilicet Domino Christo servire. Quae enim Virgo prudentissima, ad Canae nuptias, ministris aiebat, eadem nobis loquitur: *Quodcumque dixerit vobis facite* [2]. Verbum vero Christi est: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata* [3]. — Quapropter hoc quisque persuasum habeat: si pietas, quam in Virginem beatissimam quis profitetur, non eum a peccando retinet, vel pravos emendandi mores consilium non indit; fucatam esse pietatem ac fallacem, utpote quae proprio nativoque careat fructu.

Quae si cui forte confirmatione egere videantur, hauriri ea commode potest ex ipso *dogmate* immaculati conceptus Deiparae. — Nam, ut catholicam *traditionem* praetermittamus, quae, aeque ac Scripturae sacrae, fons veritatis est; unde persuasio illa de immaculata Mariae Virginis Conceptione visa est, quovis tempore, adeo cum christiano sensu con-

[1] Matth. xv, 8.
[2] Ioann. ii, 5.
[3] Matth. xix, 17.

gruere, ut fidelium animis insita atque innata haberi posset? *Horremus,* sic rei causam egregie explicavit Dionysius Carthusianus, *horremus enim mulierem, quae caput serpentis erat contritura, quandoque ab eo contritam, atque diaboli filiam fuisse matrem Domini fateri* [1]. Nequibat scilicet in christianae plebis intelligentiam id cadere, quod Christi caro, sancta, impolluta atque innocens, in Virginis utero, de carne assumpta esset, cui, vel vestigio temporis, labes fuisset illata. Cur ita vero, nisi quod peccatum et Deus per infinitam oppositionem separantur? Hinc sane catholicae ubique gentes persuasum habuere, Dei Filium, antequam, naturâ hominum assumptâ, *lavaret nos a peccatis nostris in sanguine suo,* debuisse, in primo instanti suae conceptionis, singulari gratia ac privilegio, ab omni originalis culpae labe praeservare immunem Virginem Matrem. Quoniam igitur peccatum omne usque adeo horret Deus, ut futuram Filii sui Matrem non cuiusvis modo maculae voluerit expertem, quae voluntate suscipitur; sed, munere singularissimo, intuitu meritorum Christi, illius etiam, qua omnes Adae filii, mala veluti haereditate, notamur: ecquis ambigat, primum hoc cuique officium proponi, qui Mariam obsequio demereri aveat, ut vitiosas corruptasque consuetudines emendet, et quibus in vetitum nititur, domitas habeat cupiditates?

Quod si praeterea quis velit, velle autem nullus non debet, ut sua in Virginem relligio iusta sit omnique ex parte absoluta; ulterius profecto opus est progredi, atque ad imitationem exempli eius omni ope contendere. — Divina lex

[1] 3. Sent. d. 3, q. 1.

est ut, qui aeternae beatitatis potiri cupiunt, formam patientiae et sanctitatis Christi, imitando, in se exprimant. *Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* [1]. At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur; providentis Dei numine, aliud nobis est exemplar propositum, quod, quum Christo sit proximum, quantum humanae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra. Eiusmodi autem nullum est praeter Deiparam. *Talis enim fuit Maria,* ait ad rem sanctus Ambrosius, *ut eius unius vita omnium sit disciplina.* Ex quo recte ab eodem conficitur: *Sit igitur vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vita Mariae, de qua, velut speculo, refulget species castitatis et forma virtutis* [2].

Quamvis autem deceat filios Matris sanctissimae nullam praeterire laudem quin imitentur; illas tamen Eiusdem virtutes ipsos fideles assequi prae ceteris desideramus, quae principes sunt ac veluti nervi atque artus christianae sapientiae: fidem inquimus, spem et caritatem in Deum atque homines. Quarum quidem virtutum fulgore etsi nulla, in Virgine, vitae pars caruit; maxime tamen eo tempore enituit, quum nato emorienti adstitit. — Agitur in crucem Iesus, eique in maledictis obiicitur *quia filium Dei se fecit* [3]. Ast illa, divinitatem in eo constantissime agnoscit et colit. Demortuum sepulchro infert, nec tamen dubitat revicturum.

[1] Rom. VIII, 29.
[2] *De Virginib.*, l. 2, c. 2.
[3] Ioann. XIX, 7.

Caritas porro, qua in Deum flagrat, participem *passionum Christi* sociamque efficit; cumque eo, sui veluti doloris oblita, veniam interfectoribus precatur, quamvis hi obfirmate inclamant: *Sanguis eius super nos, et super filios nostros* [1].

Sed ne immaculati Virginis conceptus, qui Nobis caussa scribendi est, contemplationem deseruisse videamur, quam is magna atque propria importat adiumenta ad has ipsas retinendas virtutes riteque colendas! — Et revera, quaenam osores fidei initia ponunt tantos quoquoversus errores spargendi, quibus apud multos fides ipsa nutat? Negant nimirum hominem peccato lapsum suoque de gradu aliquando deiectum. Hinc originalem labem commentitiis rebus accensent, quaeque inde evenerunt damna; corruptam videlicet originem humanae gentis, universamque ex eo progeniem hominum vitiatam; atque adeo mortalibus invectum malum impositamque reparatoris necessitudinem. His autem positis, pronum est intelligere nullum amplius Christo esse locum, neque ecclesiae, neque gratiae, neque ordini cuipiam qui naturam praetergrediatur; uno verbo, tota fidei aedificatio penitus labefactatur. — Atqui credant gentes ac profiteantur Mariam Virginem, primo suae conceptionis momento, omni labe fuisse immunem; iam etiam originalem noxam, hominum reparationem per Christum, evangelium, ecclesiam, ipsam denique perpetiendi legem admittant necesse est: quibus omnibus, *rationalismi* et *materialismi* quidquid est radicitus evellitur atque excutitur, manetque christianae sapientiae laus custodiendae tuendaeque veritatis. — Ad haec, commune hoc fidei

[1] Matth. XXVII, 25.

hostibus vitium est, nostra praesertim aetate, ad fidem eandem facilius eradendam animis, ut auctoritatis Ecclesiae, quin et cuiusvis in hominibus potestatis, reverentiam et obedientiam abiiciant abiiciendamque inclament. Hinc *anarchismi* exordia; quo nihil rerum ordini, tum qui ex natura est tum qui supra naturam, infestius ac pestilentius. Iamvero hanc quoque pestem, publicae pariter et christianae rei funestissimam, immaculati Deiparae conceptus delet dogma; quo nempe cogimur eam Ecclesiae tribuere potestatem cui non voluntatem animi tantum, sed mentem etiam subiici necesse est: siquidem ex huiusmodi subiectione rationis christiana plebs Deiparam concinit: *Tota pulchra es, Maria, et macula originalis non est in te* [1]. — Sic porro rursum conficitur Virgini augustae hoc dari merito ab Ecclesia, *cunctas haereses solam interemisse in universo mundo.*

Quod si fides, ut inquit Apostolus, nihil est aliud nisi *sperandarum substantia rerum* [2]; facile quisque dabit immaculata Virginis conceptione confirmari simul fidem, simul ad spem nos erigi. Eo sane vel magis quia Virgo ipsa expers primaevae labis fuit quod Christi mater futura erat; Christi autem mater fuit, ut nobis aeternorum bonorum spes redintegraretur.

Iam ut caritatem in Deum tacitam nunc relinquamus, ecquis Immaculatae Virginis contemplatione non excitetur ad praeceptum illud sancte custodiendum, quod Iesus per antonomasiam suum dixit, scilicet ut diligamus invicem sicut ipse dilexit nos? — *Signum magnum*, sic apostolus

[1] Grad. Miss. in festo Imm. Concept.
[2] Hebr. xi, 1.

Ioannes demissum sibi divinitus visum enarrat, ***signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim*** [1]. Nullus autem ignorat, mulierem illam, Virginem Mariam significasse, quae caput nostrum integra peperit. Sequitur porro Apostolus: *Et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat* [2]. Vidit igitur Ioannes sanctissimam Dei Matrem aeterna iam beatitate fruentem, et tamen ex arcano quodam partu laborantem. Quonam autem partu? Nostrûm plane, qui exilio adhuc detenti, ad perfectam Dei caritatem sempiternamque felicitatem gignendi adhuc sumus. Parientis vero labor studium atque amorem indicat, quo Virgo, in caelesti sede, vigilat assiduaque prece contendit ut electorum numerus expleatur.

Eandem hanc caritatem ut omnes nitantur assequi quotquot ubique christiano nomine censentur vehementer optamus, occasione hac praesertim arrepta immaculati Deiparae conceptus solemnius celebrandi. Quam modo acriter efferateque Christus impetitur atque ab eo condita religio sanctissima! quam idcirco praesens multis periculum iniicitur, ne, gliscentibus erroribus ducti, a fide desciscant! *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat* [3]. Simul vero prece et obsecratione humili utantur omnes ad Deum, conciliatrice Deipara, ut qui a vero aberraverint resipiscant. Experiendo quippe novimus eiusmodi precem, quae caritate funditur et

[1] Apoc. xii, 1.
[2] Apoc. xii, 2.
[3] I Cor. x, 12.

Virginis sanctae imploratione fulcitur, irritam fuisse numquam. Equidem oppugnari Ecclesiam neque in posterum unquam cessabitur: *Nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis* [1]. Sed nec Virgo ipsa cessabit nostris adesse rebus ut ut difficillimis, pugnamque prosequi iam inde a conceptu pugnatam, ut quotidie iterare liceat illud: *Hodie contritum est ab ea caput serpentis antiqui* [2].

Utque caelestium gratiarum munera, solito abundantius, nos iuvent ad imitationem beatissimae Virginis cum honoribus coniungendam, quos illi ampliores hunc totum annum tribuemus; atque ita propositum facilius assequamur instaurandi omnia in Christo: exemplo Decessorum usi quum Pontificatum inirent, indulgentiam extra ordinem, instar Iubilaei, orbi catholico impertiri decrevimus.

Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit; universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in alma Urbe Nostra degentibus vel ad eam advenientibus, qui unam e quatuor Basilicis patriarchalibus, a Dominica prima Quadragesimae, nempe a die XXI februarii, usque ad diem II iunii inclusive, qui erit solemnitas sanctissimi Corporis Christi, ter visitaverint; ibique per aliquod temporis spatium pro catholicae Ecclesiae atque huius Apostolicae Sedis libertate et exaltatione, pro extirpatione haeresum omniumque errantium conversione, pro christia-

[1] I Cor. XI, 19.
[2] Off. Imm. Conc. in II Vesp. ad *Magnif.*

norum Principum concordia ac totius fidelis populi pace et unitate, iuxtaque mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint; ac semel, intra praefatum tempus, esurialibus tantum cibis utentes ieiunaverint, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos; et peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum susceperint; ceteris vero ubicumque, extra praedictam Urbem degentibus, qui ecclesiam cathedralem, si sit eo loci, vel parochialem, aut, si parochialis desit, principalem, supra dicto tempore vel per tres menses etiam non continuos, Ordinariorum arbitrio, pro fidelium commodo, praecise designandos, ante tamen diem VIII mensis decembris, ter visitaverint; aliaque recensita opera devote peregerint: plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus et impertimus; annuentes insuper ut eiusmodi indulgentia, semel tantum lucranda, animabus, quae Deo caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit et valeat.

Concedimus praeterea ut navigantes atque iter agentes, quum primum ad sua domicilia se receperint, operibus supra notatis peractis, eandem indulgentiam possint consequi.

Confessariis autem, actu approbatis a propriis Ordinariis, potestatem facimus ut praedicta opera, a Nobis iniuncta, in alia pietatis opera commutare valeant in favorem Regularium utriusque sexus, nec non aliorum quorumcumque qui ea praestare nequiverint, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui ad eandem suscipiendam nondum fuerint admissi.

Insuper omnibus et singulis christifidelibus tam laicis quam ecclesiasticis sive saecularibus sive regularibus cuius-

vis ordinis et instituti, etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus et facultatem ut sibi, ad hunc effectum, eligere possint quemcumque presbyterum tam regularem quam saecularem, ex actu approbatis, (qua facultate uti possint etiam moniales, novitiae aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo confessarius approbatus sit pro monialibus) qui eosdem vel easdem, infra dictum temporis spatium, ad confessionem apud ipsum peragendam accedentes, cum animo praesens iubilaeum assequendi, nec non reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi, hac vice et in foro conscientiae dumtaxat, ab excommunicationis, suspensionis aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apostolicae, etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reservatis, nec non ab omnibus peccatis et excessibus etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicae reservatis, iniuncta prius poenitentia salutari aliisque de iure iniungendis, et, si de haeresi agatur, abiuratis antea et retractatis erroribus, prout de iure, absolvere; nec non vota quaecumque etiam iurata et Sedi Apostolicae reservata (castitatis, relligionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerit, exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare et cum poenitentibus eiusmodi in sacris ordinibus constitutis etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorundem ordinum et ad superiorum assequutionem, ob censurarum violationem dumtaxat, contracta, dispensare possit et valeat. — Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive

ex delicto sive ex defectu, vel publica vel occulta aut nota aliave incapacitate aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare; neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV, quae incipit *Sacramentum poenitentiae*; neque demum easdem praesentes litteras iis, qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra praedictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse et debere.

Ad haec libet adiicere, velle Nos et concedere, integrum cuicumque, hoc etiam Iubilaei tempore, permanere privilegium lucrandi quasvis indulgentias, plenariis non exceptis, quae a Nobis vel a Decessoribus Nostris concessae fuerint.

Finem vero, Venerabiles Fratres, scribendi facimus, spem magnam iterum testantes, qua plane ducimur, fore ut, ex hoc Iubilaei munere extraordinario, auspice Virgine Immaculata a Nobis concesso, quamplurimi, qui misere a Iesu Christo seiuncti sunt, ad eum revertantur, atque in christiano populo virtutum amor pietatisque ardor refloreat. Quinquaginta abhinc annos, quum Pius decessor beatissimam Christi Matrem ab origine labis nesciam fide catholica tenendam edixit, incredibilis, ut diximus, caelestium gratiarum copia effundi in hasce terras visa est; et, aucta in Virginem Deiparam spe, ad veterem populorum religionem magna ubique accessio est allata. Quidnam vero ampliora in posterum expectare prohibet? In funesta sane incidimus tem-

pora; ut prophetae verbis conqueri possimus iure: *Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt*[1]. Attamen, in hoc quasi malorum diluvio, iridis instar Virgo clementissima versatur ante oculos, faciendae pacis Deum inter et homines quasi arbitra. *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram*[2]. Saeviat licet procella et caelum atra nocte occupetur; nemo animi incertus esto. Mariae adspectu placabitur Deus et parcet. *Eritque arcus in nubibus, et videbo illum, et recordabor foederis sempiterni*[3]. *Et non erunt ultra aquae diluvii ad delendum universam carnem*[4]. Profecto si Mariae, ut par est, confidimus, praesertim modo quum immaculatum eius conceptum alacriore studio celebrabimus; nunc quoque illam sentiemus esse Virginem potentissimam, *quae serpentis caput virgineo pede contrivit*[5].

Horum munerum auspicem, Venerabiles Fratres, vobis populisque vestris Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Februarii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

[1] Os. IV, 1-2.
[2] Gen. IX, 13.
[3] Ib. 16.
[4] Ib. 15.
[5] Off. Imm. Conc. B. M. V.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
HIERARCHIA CATHOLICA
IN INSVLA TERRAE NOVAE CONSTITVITVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In hac B. Petri Cathedra divinitus collocati in id potissimum curas cogitationesque Nostras intendimus, nimirum ut christiana res potiora capiat in dies, Deo favente, incrementa. Iam vero cum in Insula Terrae Novae Americae Borealis, in quam iamdudum catholica religio invecta fuit, duae iam floreant dioeceses atque unus existat Vicariatus Apostolicus, feliciterque ita res catholica adoleverit, ut ad maiora fidei incrementa in illa Insula promovenda atque ad decus catholicae religionis amplificandum peropportunum consilium visum sit ut Ecclesiastica ibidem erigatur Hierarchia; Nos collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infra scripta sunt, decernenda existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Literae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, cen-

suris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine praesentium vi Dioecesim S. Ioannis, quae ceteris vetustate et Catholicorum numero antecedit, in Sedem Metropolitanam constituimus. Vicariatum vero S. Georgii in Dioecesim ab eodem S. Georgio denominandam erigimus Apostolica similiter Nostra Auctoritate praesentium vi, eamque novam Dioecesim a S. Georgio sic per Nos erectam una cum iam existente Dioecesi Portus Gratiae, quae etiam Labradoriae oram in proximo continenti complectitur, tamquam suffraganeas haberi volumus novae Sedis Metropolitanae S. Ioannis. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII Februarii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS INDICITVR VISITATIO APOSTOLICA
OMNIVM ECCLESIARVM ET LOCORVM PIORVM
ALMAE VRBIS

PIVS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI

VNIVERSO CLERO
ET POPVLO ROMANO
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum, arcano Dei consilio, ad supremi apostolatus apicem, nihil tale cogitantes, evecti fuimus, illud ex ore Domini audire visi Nobis sumus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* quo scilicet intelligeremus, universae Ecclesiae Nobis procuratione commissa, debere Nos *impendere* Nos ipsos ac *superimpendere* pro salute omnium, aequo studio, provehenda. At vero illud primum perspeximus romano populo episcopos Nos esse datos: non enim aliter quam ob romanum Episcopatum, et Beati Petri conscendimus Cathedram, et catholici nominis supremum gerimus pontificatum. Quamobrem huc etiam, ante omnia, curas Nobis advertendas esse sensimus, ut Ecclesiae huius utilitatibus, ecclesiarum ceterarum nobilissimae, praecipua studiorum Nostrorum labo-

rumque impenderemus. Idque eo vel amplius imponitur Nobis, quod, cum Roma, divinis praeordinationibus, catholicae unitatis centrum sit constituta, unde lux veritatis, quae in omnium gentium revelatur salutem, tamquam a capite per totum mundi corpus effundatur; necesse omnino est ut inde etiam Christi bonus odor ad fideles omnes permanet, atque ex ea pariter credendi lex ac vivendi exemplum petatur. Quam igitur Nobis instaurationem omnium in Christo proposuimus, a Clero populoque romano exordia capiat oportet; ita ut, renovato spiritu, quotquot e sacro vel laicorum ordine in hac Urbe versantur, sanctitatis et iustitiae semitas, tempestate licet virtuti infensissima, alacrius instituant percurrendas.

Hanc ob rem, pastoralem Visitationem, pro episcopali munere, suscipiendam decrevimus; eamque, ad Omnipotentis Dei laudem et honorem ac Sanctae Romanae Ecclesiae exaltationem, per praesentes litteras indicimus; quae a Sacrosancta Lateranensi Basilica inchoabitur Dominica in Albis, in ceteris postea tam patriarchalibus, quam collegiatis et parochialibus ecclesiis earumque capitulis et personis, item Monasteriis, Conventibus et Ecclesiis quorumvis Ordinum tam virorum quam mulierum, Collegiis, Confraternitatibus laicorum aliisque locis ecclesiasticae potestati subiectis peragenda.

Hanc quidem Visitationem Nos per Nos Ipsi instituere magnopere cuperemus. At quoniam per adversa temporum prohibemur; Decessorum etiam Nostrorum exemplis usi, Viris dignitate, doctrina ac rerum experientia praestantibus tanti momenti negotium dare statuimus, quibus et neces-

sarias facultates et instructiones opportunas ad commissum officium rite exequendum trademus. — Quare Dilectum Filium Nostrum Petrum Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Respighi, Nostrum in Urbe in Spiritualibus Vicarium Generalem, eligimus et deputamus ut dictam Visitationem Nostro Nomine Nostraque Auctoritate peragat eique praesit; eidemque adiungimus nonnullos Antistites et Romanae Curiae Praelatos, nimirum Venerabiles Fratres Iosephum Ceppetelli Patriarcham Constantinopolitanum, Henricum Grazioli Archiepiscopum Nicopolitanum, Nicolaum Iosephum Camilli Archiepiscopum Tomitanum, Maurum Nardi Episcopum Thebanum, qui Secretarii munere fungetur, Raphaëlem Virili Episcopum Troadensem et dilectos Filios Basilium Pompili, cui Assessoris officium committimus, Gulielmum Sebastianelli, quem iudicem causarum et executorem decretorum Visitationis constituimus, Benedictum Melata, Petrum Piacenza, Fridericum Polidori, Ioannem Baptistam Nasalli-Rocca, Ludovicum Schüller, Ioannem M. Zonghi, Alexandrum Avòli, Evaristum Lucidi et Augustum Sili. Insuper nominamus dilectos Filios Bonifacium Oslaender, Monachum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis Abbatem Monasterii S. Pauli extra Urbem, Paulum a Plebe Contronis, Concionatorem Apostolicum Def. Gen. Ordinis Capulatorum, Hyacinthum M. Cormier, Proc. Gen. Ordinis Praedicatorum, et Aloisium Palliola Congregationis SSmi Redemptoris, ut operam suam in iis praesertim navent, quae ad religiosas utriusque sexus familias pertinent. Quod si porro opus esse videbitur, alios praeterea idoneos e clero viros ad eundem effectum designabimus.

Quum vero, in tanto opere peragendo, maioris momenti res occurrere procul dubio necesse erit; volumus hasce deferri ad Sacram Congregationem Venerabilium Fratrum et Dilectorum Filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Visitationis Apostolicae ecclesiarum Urbis praepositorum, qui, maturo examine adhibito, sententiam deinde Nobis aperiant.

Ne autem, in id operis, auxilium ab Eo petere praetermittamus, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, publicas haberi supplicationes ac praesertim Sacramentum augustum, in patriarchalibus Basilicis aliisque templis, publice ac solemni ritu proponi mandamus, additis etiam sacrarum indulgentiarum muneribus, prout per eundem Cardinalem Vicarium fusius edicendum curabimus.

Hortamur igitur romanum clerum et populum ne in vacuum gratiam Dei recipiant; sed, optatis Nostris studiosissime obsecundantes, ad felicem exitum sacrae Visitationis, pro sua quisque conditione, adlaboret. Utinam, emendatis moribus, aucta sacrarum aedium reverentia, festis diebus sancte servatis, omnique virtutum genere exculto, Urbs, quae Petri Sede illustratur, sit universo terrarum orbi dux et magistra sanctitatis!

Speramus equidem atque adeo confidimus Deum clementissimum benigne industriis Nostris adfuturum. Ope namque utimur et imploratione potentissima Immaculatae Genitricis Christi, cui, hoc anno, a romano populo, aeque ac a fidelibus ceteris, peculiares adhibentur honores; nec non precibus Apostolorum Petri et Pauli aliorumque Caelitum, qui

Urbem Nostram vel irrigarunt sanguine vel virtutibus consecrarunt.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo tertio, tertio Idus Februarii, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. DI PIETRO Pro-Dat. A. Card. MACCHI.

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs.

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

V. Cvgnonivs.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

IOSEPHO POTHIER ABBATI EX ORDINE S. BENEDICTI

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Litteras accepimus, quibus gratum Nobis animum significabas ob ea quae nuper de musica sacra ad veteres liturgiae leges exigenda, ac praesertim de cantu Gregoriano ad pristinos modulos revocando praescripsimus. Iucundum fuit istud a te exhibitum officium, in quo obsequium agnovimus pietatemque erga Nos tuam: eo iucundius, quod a viro exhibitum erat, liturgiae in primis perito ac de Gregoriani cantus disciplina praeclare merito. Quod autem polliceris non defuturam deinceps in hac causa navitatem Nobis tuam, paterno studio istam complectimur voluntatem, Deumque, ut labores tuos benignus adiuvet, precamur. Horum porro laborum novum fructum gratulamur; *Cantus Mariales* intelligimus, a te Nobis muneri missos; de quo munere et suavi et opportuno gratiam habemus.

Auspicem caelestium bonorum, eandemque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecti fili, et sodalibus istis

tuis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Februarii anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ACADEMICIS IN SACRA SCRIPTVRA GRADIBVS
A *COMMISSIONE* BIBLICA CONFERENDIS

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Scripturae sanctae magis magisque in Clero promovere studium, conscientia Nos Apostolici officii in primis admonet hoc tempore, quum eum maxime divinae revelationis fideique fontem videmus ab intemperantia humanae rationis passim in discrimen adduci. Id ipsum quum intelligeret Noster fel. rec. decessor Leo XIII, non satis habuit dedisse anno MDCCCXCIII proprias de re biblica Encyclicas litteras *Providentissimus Deus;* nam paucis ante exitum mensibus, editis Apostolicis litteris *Vigilantiae,* peculiare instituit ex aliquot S. R. E. Cardinalibus pluribusque aliis doctis viris urbanum Consilium, quod, praelucente doctrina et traditione Ecclesiae, etiam progredientis eruditionis praesidia conferret ad legitimam exegesim biblicam, et simul catholicis praesto esset, tum ad adiuvanda ac dirigenda eorum in hoc genere studia, tum ad controversias, si quae inter ipsos extitissent, dirimendas.

Nos quidem, ut par est, praeclarum istud pontificalis providentiae monumentum a Decessore relictum, Nostris quoque curis et auctoritate complectimur. Quin etiam iam nunc, eiusdem Consilii seu *Commissionis* navitate confisi, ipsius operam in negotio, quod magni censemus esse momenti ad Scripturarum provehendum cultum, adhibere constituimus. Siquidem hoc volumus, certam suppeditare rationem, unde bona paretur copia magistrorum, qui gravitate et sinceritate doctrinae commendati, in scholis catholicis divinos interpretentur Libros. Huius rei gratiâ percommodum profecto esset, quod etiam in votis Leonis fuisse novimus, proprium quoddam in Urbe Roma condere Athenaeum, altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicae ornatum, quo delecti undique adolescentes convenirent, scientia divinorum eloquiorum singulari evasuri. At quoniam eius perficiendae rei deest in praesens Nobis, non secus ac Decessori, facultas, quae quidem fore ut aliquando ex catholicorum liberalitate suppetat, spem bonam certamque habemus, interea quantum ratio temporum sinit, id, harum tenore litterarum, exsequi et efficere decrevimus.

Itaque, quod bonum salutareque sit, reique catholicae benevertat, Apostolica auctoritate Nostra, Academicos Prolytae et Doctoris in Sacrae Scripturae disciplina gradus instituimus, a *Commissione* Biblica conferendos ad eas leges, quae infra scriptae sunt.

I. Nemo ad Academicos in Sacra Scriptura gradus assumatur, qui non sit ex alterutro ordine Cleri sacerdos; ac praeterea nisi Doctoratus in Sacra Theologia lauream, eamque

in aliqua studiorum Universitate aut Athenaeo a Sede Apostolica adprobato, sit adeptus.

II. Candidati ad gradum vel prolytae vel doctoris in Sacra Scriptura, periculum doctrinae tum verbo tum scripto subeant: quibus autem de rebus id periculum faciendum fuerit, *Commissio* Biblica praestituet.

III. *Commissionis* erit explorandae candidatorum scientiae dare iudices: qui minimum quinque sint, iique ex consultorum numero. Liceat tamen *Commissioni* id iudicium, pro prolytatu tantummodo, aliis idoneis viris aliquando delegare.

IV. Qui prolytatum in Sacra Scriptura petet, admitti ad periculum faciendum, statim ab accepta sacrae Theologiae laurea, poterit: qui vero doctoratum, admitti non poterit, nisi elapso post habitum prolytatum anno.

V. De doctrina examinanda candidati ad lauream in Sacra Scriptura, hoc nominatim cautum sit, ut candidatus certam thesim, quam ipse delegerit et *Commissio* Biblica probaverit, scribendo explicet, eamque postea in legitimo conventu Romae habendo recitatam ab impugnationibus censorum defendat.

Haec volumus, edicimus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus. — Restat, ut Venerabiles Fratres Episcopi ceterique sacrorum Antistites in suae quisque dioecesis utilitatem ex hisce statutis Nostris eum fructum quaerant, quem inde Nobis uberem pollicemur. Ideo, quos in suo Clero viderint singularibus Bibliorum studiis natos aptosque, ad promerenda etiam huius disciplinae insignia hortentur et adiuvent: insignitos porro habeant potiores,

quibus in sacro Seminario Scripturarum magisterium committant.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXIII Februarii, festo S. Petri Damiani, an. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

IOANNI MARIAE ARCHIEPISCOPO NEO-EBORACENSI

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Haud ita pridem nobilem istam dioecesim suscepisti Archiepiscopus regendam, iamque multa extant, quae pastoralem diligentiam tuam egregie probent. In his laudare satis non possumus paternas quas adhibes curas Italis, qui istuc commigrarunt; id curans maxime, ut tuti a variis de fide periculis in avitae religionis cultu permaneant. Huc pertinere intelligimus, quod educendis rite clericis de colonia italica proprium Seminarium peropportuno consilio condidisti, illud quidem munificentiae quoque monumentum tuae.

Itaque cum gratulamur tibi ex animo, tum gratiam non mediocrem habemus, etiam quod oblata stipe sublevare angustias, quibus Apostolica Sedes laborat, studuisti. Tua vero studii pastoralis pietatisque promerita benignus Deus remuneret, suique ubertate auxilii et promoveat tua coepta, et eorum, quos beneficiis afficis, obsequium tibi amoremque in

dies magis conciliet. Interea divinorum munerum auspicem itemque peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, et clero populoque tuo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVI Februarii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII
AD ITALIAE ORDINARIOS
DE VISITATIONE APOSTOLICA

Constat apud omnes, supremae Romani Pontificis auctoritati ius esse atque officium de statu ecclesiarum omnium cognoscendi, et a singulis Praesulibus exigendi, ut sui quisque ministerii rationem Ipsi reddant. Id profecto sibi volunt Christi verba: « *Pasce agnos*, *pasce oves* », id Ecclesiae unitatis postulat ratio, id actum ab initio et non intermissa consuetudine servatum docet historia.

Iugi autem experientia compertum est, quo plenius et intimius hic nexus Romanum Pontificem inter et Episcopos viguerit, eo felicius religioni contigisse. Nam ex unione auctae vires, Ordinariorum auctoritas maior effecta, vitiis et erroribus obex citius et efficacius paratus, animarum saluti melius consultum.

Duplex autem modus est quo Romani Pontifices de statu ecclesiarum certiores fieri consueverunt. Aut enim ipsarum rectoribus mandarunt, ut de sua quisque dioecesi ad Apostolicam Sedem fideliter pleneque referrent; aut legatos miserunt, variis nominibus pro temporum, locorum adiunctis, aut pro natura munerum designatos.

Ita sane consueverunt Apocrisarios, Nuntios, aut Delegatos Apostolicos ad principes temporales destinare, non alia quidem de causa quam ut quae ad christianam rempublicam spectarent cum eis agerent. Ita quoque Legatos frequenter miserunt ad particulares ecclesias aut ad alicuius regionis regnive fideles, ut religiosa illius loci negotia directo curarent, nunc ordinaria quadam et stabili ratione, uti Legati nati, nunc extraordinario modo ac temporario ut Visitatores Apostolici.

Peculiaris vero Summorum Pontificum cura fuit ut Italia, quae sua ipsius conditione Romanam Ecclesiam propius attingit, arctiori vinculo Apostolicae Sedi obstringeretur, cum eâque frequentius communicaret. Idcirco S. P. Sixtus V in Const. *Romanus Pontifex* decrevit, ut eius Episcopi crebrius quam ceteri, idest unoquoque triennio, SS. Apostolorum limina visitarent ac de suarum dioecesium statu referrent; eademque de causa Visitatores Apostolici ad diversas Italiae dioeceses aut regiones, praesertim post S. S. Tridentinam synodum saepe missi, etsi iam penes principes et respublicas, queis olim Italia constabat, Apostolici Nuntii essent, qui negotia religionis vigilarent.

At nunc civilibus Italiae conditionibus mutatis, quum alia complura, tum etiam esse desiit institutum hoc saluberrimum. Quo factum est ut una quoque ex potissimis rationibus defecerit, quibus Romanus Pontifex possit cognoscere quid boni ac meriti alicubi sit, aut quid forte reprehensione dignum, ut valeat opportune providere.

Quod quum diuturna satis experientia docuerit haud sine Ecclesiae detrimento accidisse, ven. mem. Pontifex

Leo XIII S. Concilii Congregationi commisit, ut videret si quis forte modus esset quo defectus ille pro temporum conditione suppleretur.

Haec autem, omnibus mature perpensis, optimum factu censuit Apostolicam quandam Visitationem instituere per sacri ordinis viros, dignitate, doctrina et prudentia praestantes, qui certis temporibus varias Italiae regiones perlustrarent; ab Episcopis audirent, quae cleri esset, quae seminarii, quae populi, quae cultus divini conditio; ubi forte opus esset, suis ipsi oculis cernerent atque, interposita fide silentii, ad Apostolicam Sedem referrent.

Consilium Leoni XIII probatum, sed Ipsius morte interceptum, Pio X, vixdum ad Petri cathedram evectus est, magnopere placuit. Imo necessarium duxit ut quamprimum perficeretur.

Iussa itaque SSm̃i Dñi Nostri peragens S. Congregatio Concilii praesentibus litteris mandat, ut singuli Italiae Ordinarii recipiant Visitatores Apostolicos, quos statis temporibus S. Sedes ad eos in posterum missura est: eisque de statu suarum dioecesium referant iuxta legem in adiecto folio statutam.

Multa ex hac Visitatione licet sperare bona. Ea enim in primis ipsius episcopalis auctoritatis praesidio est instituta, quo iuvari possunt Antistites, sive ad clerum gregemque suum in officio continendum, sive ad citius expedienda negotia, de quibus consulenda sit Apostolica Sedes. Praeterea hac ratione subiici poterunt fidelibus oculis multa quae saepe frustra desiderantur, sive ad pastorale munus aut utilius obeundum aut commodius, sive ad arcendas dif-

ficultates quae in animarum regimine interdum occurrunt. Denique coniunctius agendo cum Romano Pontifice ipsa Ordinariorum dignitas augebitur, et facilius episcopale ministerium evadet.

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet sive ex privilegio, sive ex consuetudine, sive ex specialibus statutis aut constitutionibus minime obstantibus.

Datum Romae die VII Martii MDCCCCIV.

† VINCENTIVS CARD. EPISC. PRAENESTINVS, *Praefectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

REGOLE PER LA VISITA APOSTOLICA

1.° Il Visitatore Apostolico prima di partire per la sua missione presterà giuramento innanzi all'Eminentissimo Prefetto, od a Monsignor Secretario della S. C. del Concilio, *de munere fideliter adimplendo, et de secreto servando* per tutto ciò che risguarda la visita apostolica: quale secreto dovrà osservarsi inviolabilmente, perchè venga tutelata la piena libertà del Visitatore e dei Visitati.

2.° Sono severamente vietati i ricevimenti solenni con suono di campane e con altri apparati esteriori, sia al primo arrivo del Visitatore, sia nelle visite particolari susseguenti. Il suo arrivo sarà privatissimo. Egli si recherà avantutto dall'Ordinario per rendergli il dovuto omaggio, e per presentargli le lettere che accreditano la sua missione.

3.° Sarà cura dell'Ordinario stesso di procurare al Visitatore un conveniente alloggio. In ogni caso poi il vitto pel Visitatore sarà frugale, e senza invito di persone estranee.

4.° Egli respingerà qualsiasi invito a pranzi o a ricevimenti in suo onore, e qualsiasi dono o regalo che gli venisse sotto qualsiasi pretesto, o in qualsiasi modo proferto; allegando il giuramento prestato per l'adempimento del suo dovere, e che si intende espressamente vincolare il Visitatore all'osservanza del disposto di questo articolo.

5.° Il Visitatore non ha, nè eserciterà atti di giurisdizione alcuna, fuori di quanto è necessario per il compimento della sua missione, cioè fuori di quella di esaminare cose e persone, e di deferire agli esaminati il giuramento *de veritate dicenda,* e *de secreto servando*.

Ma anche in ciò fare si guarderà da ogni ostentazione di autorità; e cercherà piuttosto colla sua pietà, riservatezza, e modestia di essere di edificazione al clero ed ai fedeli che visiterà.

6.° Comincerà col prendere dall'Ordinario cognizione di quanto può risguardare lo stato generale della diocesi, del clero, dei fedeli, del

Seminario, degli istituti religiosi, sia maschili, sia femminili, delle opere pie e delle associazioni cattoliche, sia quanto al materiale, sia quanto al morale. Dopo ciò l'Ordinario fornirà al Visitatore sue lettere onde venga riconosciuta la sua missione dal clero e dai fedeli della diocesi.

7.° La visita sarà locale, reale e personale. E nella visita personale, più ancor che nelle altre, si osserverà segreto inviolabile, tanto dal Visitatore, quanto dai Visitati, i quali dovranno giurare di osservarlo con chicchessia.

8.° Visiterà in primo luogo la Curia e gli Archivi, sentendo separatamente il Vicario Generale e gli altri officiali: osservando se vi sia uno stato regolare del clero, delle parrocchie, quale sia la tassa per gli affari etc. – se l'amministrazione ecclesiastica sia in regola secondo le norme della S. Sede, – se gli Archivi siano ben ordinati e custoditi, secondo le regole canoniche.

9.° Particolare attenzione e cura userà nella visita del Seminario, sia quanto al materiale, sia quanto agli studî, sia quanto alla pietà degli alunni. Ed a tale effetto non si limiterà ad interrogare il Rettore, l'Economo, i Deputati; ma visiterà le scuole, e personalmente, in particolare udienza, gli alunni, esaminandoli con paterna bontà sui loro sentimenti, studi, propositi.

10.° Visiterà anche la Cattedrale tanto nel materiale, quanto per ciò che risguarda il Culto divino – cioè il servizio corale, la cura delle anime, se siavi annessa, il modo di fare le sacre funzioni, il canto, i paramenti ed i sacri utensili.

11.° Visiterà quindi anche altre parrocchie della città, sia per la parte materiale siá per la parte formale, onde vedere se e come si istruisca il popolo, come si faccia il catechismo, come si fomenti la pietà, come si tengano i libri parrocchiali etc., rimettendo alle visite successive quello che non potesse fare nella prima.

12.° Visiterà nello stesso modo anche le parrocchie della diocesi, non tanto le più insigni, ma pur anche quelle più modeste e povere, onde farsi un concetto il più adeguato possibile dello stato del clero e dei fedeli.

13.° Se vi sia qualche insigne Santuario non mancherà di recarvisi, e costatare come esso sia custodito, quali offerte sia per messe, sia per altri fini, ivi si facciano, e come vengano esse amministrate.

14.° Visiterà anche le case religiose non esenti, sia di uomini sia di donne, – lasciando cioè quelle che hanno per ordinario la visita dei rispettivi superiori monastici. Ed esaminerà come si osservino le regole, e quali frutti queste case apportino con le loro opere.

15.° In tutto ciò poi cercherà di informarsi dello stato religioso del popolo, se vi sia indifferenza religiosa, se vi sia frequenza di sacramenti: o si amino più le pompe esterne di culto, che la coltura dello spirito e l'osservanza delle leggi della Chiesa: se vi siano in prevalenza vizî od abitudini viziose, specialmente per rapporto alla bestemmia, al mal costume, all'intemperanza: se la stampa, irreligiosa vi sia diffusa. Se ad essa si contrapponga la buona stampa, e con che frutto. Se vi siano confraternite, od associazioni pie, e quali frutti se ne cavino per ritenere il popolo nella fede e nella pietà.

16.° Di tutto ne farà giornalmente una breve ed esatta relazione, tenendo calcolo non solo del male, ma anche del bene che rileverà, onde renderne edotta pienamente la S. Sede.

Però quanto alle cose di indole segreta o delicata, ne prenderà nota in maniera che se anche lo scritto venisse a smarrirsi, non possa essere compreso e recare danno.

Ma soprattutto fin dal principio della sua missione, ed ogni giorno in seguito, il Visitatore dovrà raccomandarsi fervorosamente al Signore ed agli Angeli tutelari della diocesi visitata, onde aver lume ed assistenza nel delicato ministero che è chiamato a compiere, ed affinchè questo riesca a gloria di Dio ed a salute delle anime, secondo il fine per cui è stato istituito.

Roma, 7 Marzo 1904.

† VINCENZO Card. Vesc. di Palestrina, *Prefetto*

G. De Lai, *Segretario.*

LITTERAE ENCYCLICAE

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iucunda sane accidit recordatio, Venerabiles Fratres, magni et *incomparabilis viri* [1], Gregorii Pontificis huius nominis primi, cuius, vertente anno millesimo tercentesimo ab eius obitu, saecularia solemnia celebraturi sumus. Nec absque singulari Dei providentia, qui *mortificat et vivificat..., humiliat et sublevat* [2], factum esse arbitramur, ut, inter apostolici ministerii Nostri paene innumerabiles curas, inter tot animi anxietates ob plurima eaque gravissima, quae universae Ecclesiae per Nos regendae debemus, inter sollicitudines queis premimur, ut et vobis, Venerabiles Fratres, in apostolatus Nostri partem vocatis, et fidelibus omnibus curae Nostrae commissis quam optime satisfiat, vel a Nostri

[1] *Martyrol. Rom.* 3 sept.
[2] I Regum II, 6, 7.

summmi Pontificatus exordiis, in sanctissimum hunc et illustrem Decessorem, Ecclesiae decus atque ornamentum, oculorum aciem converteremus. Erigitur quippe animus ad magnam fiduciam in eius patrocinio penes Deum validissimo, et eorum, sive quae sublimi magisterio praecepit, sive quae sancte gessit, memoria recreatur. Quod si ipse et praeceptorum vi et fecunditate virtutum in Ecclesia Dei tam ampla, tam alta, tam firma vestigia signavit, ut iure ab aequalibus et a posteris *Magni* nomen sit consequutus, apteturque illi vel hodie, tot saeculorum intervallo, ipsius inscripta sepulcro laudatio: *innumeris semper vivit ubique bonis* [1], fieri profecto non potest, ut admiranda illius exempla sectantibus, divina opitulante gratia, non liceat, quantum humana sinit infirmitas, sua officia tueri.

Ea persequi vix opus est quae ex historiae monumentis nota sunt omnibus. Summa erat publicarum rerum perturbatio quo tempore supremum inivit pontificatum Gregorius; exstincta prope vetus humanitas, romani ruentis imperii dominatus omnes barbaries invaserat. Italia vero, a Byzantinis imperatoribus derelicta, facta fere Langobardorum praeda fuerat, qui, suis nondum compositis rebus, huc illuc excurrebant, omnia ferro flammâque vastantes, luctu omnia caedibusque complentes. Haec ipsa Urbs, minis hostium exterius perculsa, interius afflicta pestilentiâ, eluvionibus, fame, eo miseriae devenerat, ut iam procurandae incolumitatis, non modo civium, sed confertae multitudinis se intus proripien-

[1] Apud Ioan. Diac., *Vita Greg.* IV, 68.

tis, ratio nulla suppeteret. Cernere namque erat sexus omnis et conditionis homines, episcopos, sacerdotes sacra vasa rapinis erepta portantes, religiosos viros, intemeratas Christi sponsas, fuga se, vel ab inimicorum gladiis, vel a perditorum hominum turpi violentia subducere. Romae autem Ecclesiam ipse Gregorius appellat: *vetustam navim vehementerque confractam... undique enim fluctus intrant, et quotidiana ac valida tempestate quassatae putridae naufragium tabulae sonant* [1]. At quem Deus suscitaverat nauta manu pollebat, et clavo tractando praepositus, non modo inter aestuantes procellas ad portum appellere, sed navim a futuris tempestatibus praestare tutam valuit.

Ac mirum quidem quantum ipse perfecit spatio regiminis annorum vix supra tredecim. Exstitit enim christianae vitae instaurator universae, excitans pietatem fidelium, observantiam monachorum, cleri disciplinam, sacrorum antistitum pastoralem sollicitudinem. *Prudentissimus paterfamilias Christi* [2], Ecclesiae patrimonia custodivit, adauxit, egenti populo, christianae societati et singulis ecclesiis, pro sua cuique necessitate, large copioseque suppeditans. Vere *Dei consul factus* [3], actuosae voluntatis fecunditatem ultra Urbis moenia porrexit, totamque in bonum consortii civilis impendit. Byzantinorum imperatorum iniustis postulationibus restitit fortiter; exarcharum et imperialium administrorum fregit audaciam, sordidamque avaritiam coërcuit, publicus iustitiae socialis adsertor. Langobardorum ferociam mitigavit, minime veritus

[1] Registrum I, 4 ad Ioann. episcop. Constantinop.

[2] Ioann. Diac., *Vita Greg.*, II, 51.

[3] *Inscr. sepulcr.*

ad portas Urbis obviam ire Agilulfo, ut ipsum ab ea obsidione dimoveret, quod idem cum Attila Leo Magnus pontifex egerat; nec a precibus blandisque suasionibus, aut ab agendo sagaciter ante destitit, quam formidatam eam gentem tandem aliquando pacatam vidit, aequiore reipublicae forma constituta, eandemque catholicae fidei additam, operâ in primis piae reginae Theodolindae, in Christo filiae suae. Quare Gregorius iure sibi vindicat nomen servatoris et liberatoris Italiae, huius nempe *terrae,* quam ipse suaviter vocat *suam* [1]. Pastoralibus eius, nunquam intermissis, curis, in Italia, in Africa errorum reliquiae extinguuntur, Ecclesiae res ordinantur in Galliis, Visigoti in Hispaniis inchoatae conversionis incrementa suscipiunt, Britannorum inclyta gens, quae, *dum in mundi angulo posita in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc usque remaneret* [2], et ipsa ad veracem Christi fidem accedit. Cuius tam pretiosae acquisitionis accepto nuntio Gregorius eo gaudio perfunditur, quo carissimi filii complexu pater, Iesu Servatori accepta referens omnia, *cuius amore,* inquit ipse, *in Britannia fratres quaerimus, quos ignorabamus; cuius munere, quos nescientes quaerebamus, invenimus* [3]. Ea vero gens adeo se memorem Pontifici sancto probavit, ut ipsum usque appellarit: *magistrum nostrum, Apostolicum nostrum, Papam nostrum, Gregorium nostrum,* seque tamquam sigillum apostolatus eius existimarit. Denique tanta in ipso fuit operae vis, tanta salubritas, ut rerum ab eo gestarum memoria alte insederit in

[1] Registr. v, 36 (40) ad Mauricium Aug.

[2] Ibid. viii, 29 (30) ad Eulog. Episcop. Alexandr.

[3] Ibid. xi, 36 (28) ad Augustin. Anglorum episcop.

animis posterorum, media aetate potissimum, quae spiritum quodammodo ab eodem infusum ducebat, eius verbo quasi alimentum trahebat, eius ad exempla vitam moresque conformabat, succedente feliciter in orbe terrarum christianae societatis humanitate adversus romanam, quae, saeculorum emensa cursum, esse omnino desierat.

Haec mutatio dexterae excelsi! Ac vere quidem affirmare licet, sic persuasum fuisse Gregorio, non aliam nisi Dei manum talia patrasse. His enim verbis de Britanniae conversione sanctissimum monachum Augustinum affatur, quae sane de ceteris omnibus in ministerio apostolico ab ipso gestis intelligi possunt. *Cuius opus hoc est,* inquit, *nisi eius qui ait: Pater meus usque nunc operatur et ego operor?* [1] *Qui ut mundum ostenderet, non sapientia hominum, sed sua se virtute convertere, praedicatores suos, quos in mundum misit, sine litteris elegit; hoc etiam modo faciens, quia in Anglorum gente fortia dignatus est per infirmos operari* [2]. Equidem Nos minime latent, quae sancti Pontificis oculis, de se abiecte sentientis, omnino fugiebant, et rerum gerendarum peritia, et in coeptis ad exitum perducendis ingenium sagax, et in rebus disponendis mira prudentia, et sedula vigilantia et non intermissa sollicitudo. At compertum pariter est, ipsum, non qua huius mundi principes, vi et potentia fuisse progressum, qui in altissimo ille pontificiae dignitatis fastigio primus voluerit appellari: *Servus servorum Dei,* non profana tantum scientia

[1] Ioann. v, 17.
[2] Registr. xi, 36 (28).

aut *persuasibilibus humanae sapientiae verbis* [1] viam sibi munivisse, non prudentiae tantum civilis consiliis, non instaurandae societatis rationibus diuturno studio praeparatis ac deinde in rem deductis, non denique, quod admirationem habet, mente concepto sibique proposito vasto aliquo tramite, in apostolico ministerio sensim percurrendo; quum contra, ut notum est, in ea esset cogitatione defixus, qua putaret imminere mundi finem, adeoque modicum tempus reliquum esse ad grandia facinora. Gracili admodum et infirmo corpore, diuturnis afflictatus morbis, ad extremum saepe vitae discrimen, incredibili tamen pollebat animi vi, cui nova semper alimenta suppeditabat vivida fides in Christi verbo certissimo in eiusque divinis promissis. Maximam quoque fiduciam collocabat in collata divinitus Ecclesiae vi, qua ipse rite posset suo in terris fungi ministerio.

Quare hoc illi propositum in omni vita fuit, quale singula dicta eius factaque comprobant, ut eandem fidem ac fiduciam et in se ipse foveret et in aliis vehementer excitaret, dumque supremus sibi dies adveniret, quantum hic et nunc liceret, optima quaeque sectaretur.

Inde sancti viri firma voluntas in communem salutem derivandi uberrimam illam caelestium donorum copiam, qua Deus Ecclesiam ditavit, cuiusmodi sunt et revelatae doctrinae certissima veritas, et eiusdem, qua patet orbis, efficax praedicatio, et sacramenta, quae vim habent sive infundendi sive augendi animae vitam, ac denique, superni praesidii auspex, gratia precum in Christi nomine.

[1] I Cor. II, 4.

Harum rerum recordatio, Venerabiles Fratres, mire Nos recreat. Qui si ex hoc Vaticanorum vertice moenium circumspicimus, eodem quo Gregorius, ac maiore fortasse metu vacare non possumus; tot undique coactae tempestates incumbunt, tot premunt hostium instructae phalanges; adeoque sumus humano quovis praesidio destituti, ut nec illas propulsandi nec horum impetum sustinendi ratio suppetat. Verum reputantes Nostri ubi sistant pedes, quo loco sit pontificia haec Sedes constituta, in arce Ecclesiae sanctae tutos Nos esse sentimus. *Quis enim nesciat,* ita Gregorius ad Eulogium patriarcham Alexandrinum, *sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur?* [1] Divina Ecclesiae vis nullo temporis decursu excidit, neque Christi promissa exspectationem fefellerunt; ea sic perseverant, quemadmodum Gregorii animum erexere; quin etiam ex tot saeculorum comprobatione, ex tanta rerum vicissitudine multo Nobis validius roborantur.

Regna, imperia dilapsa; sui famâ nominis et humanitatis laude florentissimae gentes occiderunt; saepe, quasi senio confectae, ipsae se nationes diremerunt. At Ecclesia, suapte natura non deficiens, nexu nunquam dissolvendo cum caelesti Sponso coniuncta, heic non caduco flore viget iuventutis, eodem instructa robore quo prodiit e transfosso Christi corde in cruce iam mortui. Potentes in terris adversus eam sese extulerunt. Evanuere hi, sed illa superfuit. Philosophandi vias pene infinita varietate excogitarunt magistri de se glo-

[1] Registr. VII, 37 (40).

riose praedicantes, quasi Ecclesiae doctrinam tandem aliquando expugnassent, fidei capita refellissent, eius magisterium omne absurdum demonstrassent. Eas tamen historia singulas obliteratas recenset funditusque deletas; quum interea lux veritatis ex arce Petri eodem fulgore coruscet, quem Iesus ortu suo excitavit aluitque divina sententia: *caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt* [1].

Hac Nos fide alti, hac petra solidati, dum sacri principatus munia omnia gravissima, simulque manantem divinitus vigorem animo sensuque percipimus, tranquilli expectamus quoad voces conticescant tot obstrepentium, actum esse de catholica Ecclesia, eius doctrinas aeternum cecidisse; brevi eo deventuram, ut cogatur aut scientiae atque humanitatis Deum reiicientis placita excipere, aut ab hominum consortio demigrare. Inter haec tamen facere non possumus quin cum ipso Gregorio in mentem omnium, sive procerum sive inferiorum, revocemus, quanta cogat necessitas ad Ecclesiam confugere, per quam detur et sempiternae saluti, et paci atque ipsi terrestris huius vitae prosperitati consulere.

Quamobrem, ut sancti Pontificis utamur verbis, *mentis gressus in eius petrae soliditate, sicut coepistis, dirigite, in qua Redemptorem nostrum per totum mundum fundasse nostis Ecclesiam, quatenus recta sinceri cordis vestigia in devio itinere non offendant* [2]. Sola Ecclesiae caritas et cum ipsa coniunctio *divisa unit, confusa ordinat, inaequalia sociat, imperfecta con-*

[1] Matth. xxiv, 35.

[2] Registr. viii, 24 ad Sabinian. episcop.

summat[1]. Retinendum firmiter, *neminem recte posse terrena regere, nisi noverit divina tractare, pacemque reipublicae ex universalis Ecclesiae pace pendere*[2]. Hinc summa necessitas perfectae concordiae inter ecclesiasticam et civilem potestatem, quam utramque Dei providentia voluit mutuâ sese ope iuvare. *Ad hoc enim potestas.... super omnes homines caelitus data est, ut qui bona appetunt adiuventur, ut caelorum via largius pateat, ut terrestre regnum caelesti regno famuletur*[3].

Ex hisce principiis invicta illa Gregorii fortitudo manabat, quam, opitulante Deo, imitari curabimus, Nobis proponentes modis omnibus, sarta tectaque iura et privilegia tueri, quorum Pontificatus romanus custos ac vindex est, coram Deo et coram hominibus. Quare idem Gregorius ad patriarchas Alexandriae atque Antiochiae, quum de iuribus agatur Ecclesiae universae, *etiam moriendo,* scribit, *debemus ostendere, quia in damno generalitatis nostrum specialiter aliquid non amamus*[4]. Ad Mauricium autem Augustum: *Qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriae tumorem atque contra statuta Patrum suam cervicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladiis flectit*[5]. Atque ad Sabinianum diaconum: *Ante paratior sum mori, quam beati Petri apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores autem meos bene cognitos habes,*

[1] Registr. v, 58 (53) ad Virgil. episcop.
[2] Ibid. v, 37 (20) ad Mauric. Aug.
[3] Ibid. III, 61 (65) ad Mauric. Aug.
[4] Ibid. v, 41 (43).
[5] Ibid. v, 37 (20).

quia diu porto; sed si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula laetus vado [1].

Eiusmodi edebat Gregorius pontifex potissima monita, erantque dicto audientes ii quibus ea nuntiabantur. Ita, dociles aures praebentibus quum principibus tum populis, mundus verae salutis repetebat iter, et ad humanitatem grassabatur eo nobiliorem ac fecundiorem quo firmioribus innixam fundamentis ad rectum usum rationis et ad morum disciplinam, vim hauriens omnem a divinitus revelata doctrina et ab evangelii praeceptis.

Sed eo tempore populi, etsi rudes, inculti atque omnis humanitatis expertes, erant vitae appetentes; hac autem donari a nemine poterant nisi a Christo per Ecclesiam: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant* [2]. Habuerunt quidem vitam, eamque affluentem. Nam, quum ab Ecclesia non alia possit nisi supernaturalis vita procedere, haec vitales etiam naturalis ordinis vires in se includit ipsa fovetque. *Si radix sancta, et rami,* sic Paulus ethnicae genti;... *tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis et socius radicis et pinguedinis olivae factus es* [3].

At nostra aetas, etsi tanta christianae humanitatis luce fruatur, ut nulla ratione possit cum aevo Gregoriano comparari, videtur tamen eam vitam fastidire, a qua praecipue, saepe unice, quasi a fonte, tot, nedum praeterita, sed etiam praesentia bona sunt repetenda. Nec modo, ut quondam

[1] Registr. v, 6 (iv, 47).
[2] Ioann. x, 10.
[3] Ad Rom. xi, 16, 17.

subortis erroribus ac dissidiis, se ipsa detruncat quasi ramum inutilem, sed vel imam arboris radicem petit, id est Ecclesiam, conaturque vitalem exsiccare succum, quo certius illa corruat nullum in posterum emissura germen.

Hodiernus hic error idemque maximus, unde ceteri fluunt, causa est cur tantam aeternae hominum salutis iacturam ac tam multa religionis detrimenta doleamus, plura etiam, nisi medica adhibeatur manus, impendentia extimescentes. Negant enim quidquam esse supra naturam; esse Deum rerum conditorem, cuius providentia cuncta regantur; fieri posse miracula; quibus de medio sublatis necesse est christianae religionis fundamenta convelli. Impetuntur ipsa argumenta, quibus Deum esse demonstratur, atque incredibili temeritate, contra prima rationis iudicia, repudiatur invicta illa argumentandi vis, qua ex effectibus causa colligitur, id est Deus eiusque attributa, nullis circumscripta limitibus. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, et divinitas* [1]. Facilis inde aditus patet ad alia errorum portenta, rectae rationi repugnantia aeque ac bonis moribus perniciosa.

Enimvero gratuita supernaturalis principii negatio, quae propria est *falsi nominis scientiae* [2], fit postulatum critices historicae pariter falsae. Quae ordinem rerum supra naturam ratione quavis attingunt, sive quod illum constituant, sive quod cum illo coniuncta, sive quod ipsum praesumant, sive

[1] Ad Rom. I, 20.
[2] I Tim. VI, 20.

denique quod nisi per ipsum explicari multa non queant, ea omnia, nulla investigatione instituta, historiae paginis eraduntur. Eiusmodi sunt Iesu Christi divinitas, mortalis ab eodem assumpta caro Sancti Spiritus operâ, sua Ipse virtute a mortuis excitatus, omnia denique fidei nostrae cetera capita. Qua falsa semel inita via, nulla iam lege critica scientia cohibetur, suoque marte quidquid non arridet aut rei suae demonstrandae adversari putatur, id omne sacris libris adimitur. Sublato enim supernaturali ordine, longe alio fundamento extrui necesse est historiam de Ecclesiae originibus, ideoque suo lubitu novarum rerum molitores monumenta versant, ea non ad sensum auctorum, sed ad suam ipsorum voluntatem trahentes.

Magno istorum doctrinae apparatu et argumentorum speciosa vi multi sic decipiuntur, ut, vel a fide desciscant, vel in ea valde infirmentur. Sunt etiam qui, sua in fide constantes, critices disciplinae, quasi demolienti, succensent, quae quidem ipsa per se culpa vacat, legitimeque adhibita conducit ad investigandum felicissime. Neutri tamen animum advertunt ad ea quae perperam ponunt ac praesumunt, hoc est ad falsi nominis scientiam, a qua profecti, necessario ad falsa concludenda ducuntur. Falso nempe philosophiae principio corrumpi omnia necesse est. Hi autem errores satis refelli poterunt nunquam, nisi acie mutata, hoc est, deductis errantibus a suae critices praesidiis, ubi se munitos existimant, ad legitimum philosophiae campum, quo relicto, errores hauserunt.

Taedet interim ad subtili mente viros eosdemque solertes Pauli verba convertere, increpantis illos, qui a terrenis

hisce ad ea quae oculorum aciem fugiunt non assurgerent: *Evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* [1]. Stultus enim omnino dicendus quicumque vires mentis insumit ut fabricet in arena.

Nec minus dolendae ruinae quae moribus hominum vitaeque societatis civilis ex ea negatione proveniunt. Etenim, opinione sublata, praeter adspectabilem hanc rerum naturam esse divinum aliquid, nihil plane superest, quo excitatae cupiditates vel turpissimae coërceantur, quibus mancipati animi ad pessima quaeque rapiuntur. Itaque *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* [2]. Ac vos quidem, Venerabiles Fratres, minime latet, quam undique perditorum morum exundet lues, cui continendae impar erit civilis potestas, nisi ad altioris, quem diximus, ordinis praesidia confugiat. Sed neque ad sanandos ceteros morbos humana quidquam valebit auctoritas, si memoria excidat aut negetur omnem potestatem a Deo esse. Tunc enim, unico freno, vi cuncta gerentur, quae vis neque adhibetur constanter nec in manu semper est; quo fit ut populus occulto quasi morbo laboret, omnia fastidiat, ius praedicet arbitrio suo agendi, seditiones conflet, reipublicae conversiones interdum turbulentissimas paret, divina omnia et humana iura permisceat. Amoto Deo, nulla civitatis legibus, nulla vel necessariis institutis constat

[1] Ad Rom. I, 21, 22.
[2] Ibid. I, 24.

reverentia, iustitia contemnitur, ipsa opprimitur quae iuris est naturalis libertas; eo usque devenitur, ut domesticae societatis compages, civilis coniunctionis primum fundamentum atque firmissimum, dissolvatur. Quo fit ut, infensis hisce Christo temporibus, difficilius aptentur efficacia remedia, quae ad populos in officio continendos Ecclesiae suae ipse comparavit.

Non aliunde tamen quam in Christo salus: *Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* [1]. Ad Ipsum ergo redire necesse est, eius advolvi pedibus, ex ore illo divino verba vitae aeternae haurire; solus quippe potest instaurandae salutis indicare viam, solus vera docere, solus ad vitam revocare, qui de se dixit: *Ego sum via et veritas et vita* [2]. Tentata denuo est mortalium gestio rerum seorsim a Christo; aedificari coepit reprobato angulari lapide, quod Petrus iis exprobrabat, qui Iesum cruci affixerant. Ecce autem rursus exstructa moles ruit aedificantium cervices infringens. Iesus interim superest, humanae societatis angularis lapis, iterum comprobatâ sententiâ, non esse nisi in ipso salutem: *Hic est lapis qui reprobatus est a vobis aedificantibus qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus* [3].

Ex his facile intelligetis, Venerabiles Fratres, quanta unumquemque nostrum urgeat necessitas, animi vi qua possumus maxima quibusque pollemus opibus, huiusmodi supernaturalem vitam in omni ordine humanae societatis excitandi,

[1] Act. IV, 12.
[2] Ioann. XIV, 6.
[3] Act. IV, 11, 12.

ab infimae sortis opifice, cui panis apponitur diuturno sudore comparatus, ad arbitros terrarum potentes. In primisque, privata prece ac publica, exoranda Dei misericordia, ut potenti auxilio suo adsit, qua voce olim, tempestate iactati, clamabant Apostoli: *Domine, salva nos, perimus* [1].

Quamquam nec ista satis. Gregorius enim vitio tribuit episcopo, quod, sacri amore secessus et orandi studio, in aciem non prodeat, pro Domini causa strenue dimicaturus, inquiens: *Vacuum episcopi nomen tenet* [2]. Ac iure quidem; lux enim est afferenda mentibus iugi praedicatione veritatis et valida refutatione pravarum opinionum per veram solidamque philosophiae ac theologiae scientiam et per auxilia omnia, quae ex genuino historicae investigationis incremento provenerunt. Oportet insuper omnibus apte inculcentur tradita a Christo morum documenta, ut discant sui imperium exercere, motus animi appetentes regere, tumentem superbiam deprimere, parere auctoritati, iustitiam colere, omnes caritate complecti, disparis in civili convictu fortunae acerbitatem christiana dilectione temperare, a terrenis bonis avocare mentem, quam Providentia dederit sortem eâ esse contentos, suisque tuendis officiis benigniorem efficere, ad futuram vitam contendere spe sempiternae mercedis. Illud autem praecipue curandum, ut haec se insinuent animisque penitus insideant, quo vera et solida pietas altiores radices agat, sua quisque et hominis et christiani officia, non ore tenus, sed re profiteatur, et fiduciâ filii ad

[1] Matth. VIII, 25.

[2] Registr. VI, 63 (30). Cfr. Regul. past. I, 5.

Ecclesiam confugiat ad eiusque ministros, quorum ministerio impetrent admissorum veniam, Sacramentorum gratiâ roborentur, vitam ad christianae legis praecepta componant.

Sacri muneris praecipuas has partes comitetur oportet Christi caritas, cuius instinctu nemo sit quem iacentem non erigamus, quem lugentem non consolemur, necessitas nulla cui non occurramus. Huiusmodi nos caritati totos devoveamus, huic res nostrae cedant omnes, huic propriae utilitates posthabeantur et commoda, ut *omnibus omnia facti*[1], salutem omnium quaeramus vel ipso vitae pretio, ad Christi exemplum ab Ecclesiae pastoribus id postulantis: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*[2]. Insignibus his documentis referta sunt quae Gregorius scripta reliquit, multiplici exemplo vitae admirandae multo expressa potentius.

Quia vero ista, quum e principiorum christianae revelationis natura, tum ex intimis nostri apostolatus proprietatibus necessario fluunt, iam videtis, Venerabiles Fratres, quanto in errore versentur qui existimant bene se de Ecclesia mereri ac frugiferam operam in aeternam hominum salutem conferre, si profana quadam prudentia, falsi nominis scientiae multa largiantur, vana spe ducti, posse ita facilius errantium sibi gratiam conciliare, re autem vera ipsi se perditionis periculo committentes. Sed veritas una est nec dividi potest; eadem aeterna perdurat, nullis obnoxia temporibus: *Iesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula*[3].

[1] I Cor. IX, 22.
[2] Ioann. X, 11.
[3] Ad Hebr. XIII, 8.

Illi etiam valde falluntur qui in collocandis publice beneficiis, praesertim popularium causam agentes, quae ad corporis victum cultumque pertinent ea maxime curant, animorum salutem et christianae professionis officia gravissima silentio praetereunt. Nec eos pudet interdum summa quaedam evangelii praecepta quasi velis obtegere, veriti ne forte minus audiantur aut prorsus deserantur. Alienum quidem a prudentia non erit, etiam in proponenda veritate, sensim procedere, ubi res agatur cum iis, qui a nostris institutis abhorrent a Deoque sunt omnino seiuncti. *Resecanda vulnera,* ita Gregorius, *leni prius manu palpanda sunt* [1]. Verum haec ipsa industria speciem prudentiae carnis assumet, si ad agendi normam assurgat constantem atque communem; eoque magis quod per eam divina gratia parvi haberi videatur, quae non sacerdotio tantum conceditur eiusque ministris, sed Christi fidelibus omnibus, ut ipsorum animos dicta nostra et facta percellant. Fuit autem eiusmodi prudentia ignota Gregorio, quum in praedicatione evangelii, tum in ceteris ab eo mire gestis ad proximos relevandos miseriis. Is Apostolorum vestigia constanter est persequutus, quorum, cum primum peragrandum terrarum orbem susceperunt nuntiaturi Christum, fuit ista vox: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* [2]. Atqui si tempus ullum exstitit, quo humanae praesidia prudentiae maxime opportuna viderentur, illud profecto fuit, quum ad excipiendam tam novam doctrinam, communibus cupiditatibus tam repu-

[1] Registr. v, 44 (18) ad Ioannem episcop.

[2] I Cor. i, 23.

gnantem, tam oppositam graecorum et romanorum florentissimae humanitati, nulla esset animorum praeparatio. Nihilominus id genus prudentiam Apostoli a se alienam duxerunt, quibus divina erant comperta decreta: *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* [1]. Ea stultitia, quemadmodum semper, sic adhuc *iis... qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est* [2]. In *scandalo* crucis, uti antea, sic in posterum arma suppetent omnium potentissima; ut olim, sic deinceps nobis erit in eo signo victoria.

Haec tamen arma, Venerabiles Fratres, vim exuent omnem nec erunt profutura quidquam, si tractentur ab iis, qui interiorem vitam cum Christo non agant, qui non sint vera firmâque pietate instituti, qui Dei gloriae eiusque regni amplificandi studio non flagrent. Quae omnia Gregorius adeo esse necessaria putabat, ut maximam curam impenderet in episcopos et sacerdotes creandos, qui divini honoris hominumque verae salutis magno desiderio tenerentur. Idque sibi proposuit in libro, qui *Regula pastoralis* inscribitur, ubi, ad cleri salubrem institutionem et ad sacrorum antistitum regimen normae traduntur, non iis modo temporibus, sed etiam nostris aptissimae. Idem, prout eius enarrator vitae describit, *velut Argus quidam luminosissimus, per totius mundi latitudinem suae pastoralis sollicitudinis oculos* [3] circumferebat, ut, si quid in clero vitii aut negligentiae deprehenderet, in

[1] Cor. I, 21.
[2] Ibid., I, 18.
[3] Ioan. Diac. lib. II, c. 55.

id statim animadverteret. Quin etiam vel ipsa periculi cogitatio, ne forte illuvies et corruptelae in mores clericorum irreperent, trepido metu eum afficiebat. Si quid vero contra Ecclesiae disciplinam actum comperisset, ea re vehementer angebatur, nec ullo poterat pacto quiescere. Tunc cerneres admonere, corrigere, canonicas poenas minitari violatoribus, has interdum ipsummet irrogare, indignos, nulla interiecta mora, nulla rerum hominumve habita ratione, ab officio identidem prohibere.

Multa praeterea monebat, quae his verbis in scriptis eius frequenter expressa leguntur: *Qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se eius gratiae esse per vitae meritum nescit?* [1] — *Si ergo in eius opere passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat?* [2] — Quinam poterunt in Christi fidelibus exspectari fructus, si veritatis praecones *quod verbis praedicant, moribus impugnant?* [3] — *Profecto diluere aliena delicta non* valet *is, quem propria devastant* [4].

Veri sacerdotis exemplar huiusmodi censet, atque ita describit: *Qui, cunctis carnis passionibus moriens, iam spiritualiter vivit; qui prospera mundi postposuit; qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat;... qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur; qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plus quam deceat igno-*

[1] Reg. past. I, 10.
[2] Ibid. I, 9.
[3] Ibid. I, 2.
[4] Ibid. I, 11.

scens, ab arce rectitudinis inclinatur; qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ut propria deplorat; qui ex affectu cordis alienae infirmitati compatitur; sicque in bonis proximi sicut in suis provectibus laetatur; qui ita se imitabilem caeteris in cunctis quae agit insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis erubescat; qui sic studet vivere ut proximorum quoque corda arentia doctrinae valeat fluentis irrigare; qui orationis usu et experimento iam didicit, quod obtinere a Domino quae poposcerit possit [1].

Quam serio igitur, Venerabiles Fratres, episcopo secum et coram Deo est reputandum, antequam novis levitis manus imponat! *Neque gratia alicuius,* inquit Gregorius, *neque supplicatione, aliquos ad sacros ordines audeat promovere nisi eum, quem vitae et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit* [2]. Quanta eidem opus est maturitate consilii, antequam recens iniunctis sacerdotibus apostolatus munia committat! Qui, nisi iusto fuerint experimento probati sub vigili custodia prudentiorum sacerdotum, nisi habeant unde plane constet de honeste acta vita, de prono in pietatem ingenio, de animo ad obediendum parato iis omnibus quae vel Ecclesiae consuetudo induxerit vel diuturna experientia comprobarit vel quos *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei* [3] ipsi praeceperint, sacerdotio fungentur, non in plebis christianae salutem, sed in perniciem. Nam et iurgia serent, et plus minus latentes ciebunt rebelliones, triste sane spectaculum

[1] Reg. past. I, 10.

[2] Registr. v, 63 (58) ad universos episcopos per Hellad.

[3] Act. xx, 28.

populo exhibentes quasi discrepantium in coetu nostro voluntatum, quum deploranda haec paucorum superbiae et contumaciae sint adscribenda. Procul, oh procul ab omni officio sunto excitatores discordiarum; nec enim his apostolis eget Ecclesia, neque hi pro Christo cruci adfixo apostolatum gerunt, sed ipsi sibi apostoli sunt.

Adhuc ante oculos versari nostros imago Gregorii videtur, in Lateranensi pontificio Consilio coactorum undique antistitum corona septi, adstante clero Urbis universo. Quam fecunda ex eius ore fluit adhortatio de officiis clericorum! Quanto ardoris aestu consumitur! Illius oratio, instar fulminis, pravos homines percellit; sunt eius verba quasi totidem flagella, queis excutiuntur inertes; divini amoris flammae sunt, quibus vel ferventissimi animi suaviter corripiuntur. Perlegite, Venerabiles Fratres, et clero vestro legendam, considerandam, in sacro potissimum annuo recessu, proponite admirabilem istam sancti pontificis homiliam [1].

Idem, non sine animi magna tristitia, haec inter cetera queritur: *Ecce, mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator; quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus* [2]. Ac vere quidem, quantum hodie virium Ecclesia colligeret, si operatores tot numeraret, quot sacerdotes? Quam uberes fructus ex divina Ecclesiae vita hominibus provenirent, si eidem explicandae vacarent singuli! Huiusmodi in agendo

[1] Hom. in Evang. I, 17.
[2] Ibid., n. 3.

alacritatem naviter excitavit Gregorius, dum vixit, suoque impulsu effecit ut posterioribus temporibus eadem vigeret. Quare, quae media intercessit, aetas, Gregoriana quasi nota distinguitur, quod ei Pontifici accepta omnia fere essent referenda, sive regulae cleri regendi, sive caritatis et beneficentiae publice exercendae multiplex ratio, sive perfectioris sanctimoniae magisterium et vitae religiosae instituta, sive denique caeremoniarum et sacri ordinatio concentus.

Verum longe alia temporum ratio successit. Quod saepe diximus, in vita Ecclesiae immutatum est nihil. Ipsa enim, haereditate acceptam a divino Institutore, eiusmodi vim possidet, qua aetatibus omnibus, quamvis inter se dissimillimis, valeat, non animis tantum, quod sui muneris est, providere, sed plurimum etiam ad verae humanitatis incrementa conferre, quod quidem ex ipsa ministerii sui natura consequitur.

Nec sane fieri potest ut quae revelata divinitus Ecclesiae custodienda commissa sunt, eadem quidquid verum, bonum, pulchrum in terrestri rerum natura conspicitur, non maxime provehant, eoque efficacius, quo magis haec ad summum totius veritatis, bonitatis, pulchritudinis principium, Deum, referantur.

Magnus ex divina doctrina humanae scientiae proventus, sive quod per illam latior patefiat campus novis rebus etiam naturalis ordinis expedite cognoscendis, sive quod per eandem rectum investigationi sternatur iter, erroresque circa disciplinae rationem viamque eam adipiscendi amoveantur. Sic in portu emicans ignis e turri, dum nocturno itinere navigantibus multa pandit, quae tenebris involuta laterent, simul

de vitandis scopulis admonet, ad quos allisa navis naufragium pateretur.

Quae autem de moribus disciplinae sunt, quandoquidem Servator Dominus supremum nobis perfectionis exemplar divinam ipsam bonitatem proponat, Patrem suum [1] eccui non patet, quanta inde incitamenta illis addantur, ut insculpta in omnium animis naturae lex altius et perfectius retineatur, adeoque tum singuli, tum domestica societas, tum denique hominum universa communitas prosperiore vita fruantur! Fuit ista profecto vis quae barbaros homines ex ferocitate ad humanitatem transtulit, mulieris proiectam dignitatem vindicavit, servitutis iugum excussit, ordinem, remissis cum aequitate vinculis quibus variae civium conditiones invicem continentur, instauravit, iura restituit, veram animi libertatem promulgavit, domesticae ac publicae tranquillitati tuto prospexit.

Denique artes ad aeternum exemplar omnis pulchritudinis, Deum, assurgentes, unde species et formae singulae, quae sunt in rerum natura, dimanant, facilius a vulgari sensu recedunt, conceptamque animo rem, in quo artis vita consistit, exprimunt multo potentius. Ac vix quidem dici potest quantum attulerit boni ratio adhibendarum artium in famulatum religionis, quo Numini offertur quidquid ipso dignius ubertate et copia, venustate atque elegantia formae, praeseferant. Hinc artis origo sacrae, quo fundamento nixa est profana quaevis ars, et nititur adhuc. Rem nuperrime attigimus peculiari *Motu proprio,* de romano cantu ad maio-

[1] Matth. v, 48.

rum instituta revocando, ac de sacris concentibus. Atqui ceterae artes, pro sua quaeque materia, iisdem legibus continentur, ita ut, quae dicuntur de cantu, eadem et pingendi et sculpendi et exstruendi artibus conveniant, quas humani ingenii nobilissimas faces Ecclesia semper excitavit et aluit. Hac specie sublimi universum hominum genus enutritum templorum erigit moles, ubi, in domo Dei, tamquam in propria sede, inter artium omnium splendidissimam copiam, inter augustas caeremonias, inter suavissimos concentus, mentes ad caelestia revocantur.

Haec, uti diximus, beneficia potuit aetati suae ac posterioribus afferre Gregorius. Eadem, his quoque temporibus, qua fundamenti soliditate consistimus et quibus mediis instructi sumus, consequi licebit, si, quae adhuc bona, Dei gratia, supersunt, omni studio retineantur, quae vero instituta a recto tramite deflexerint, *instaurentur in Christo* [1].

Placet Nostris hisce Litteris finem imponere iisdem verbis, quibus ipse Gregorius memorabilem illam in Lateranensi pontificio Consilio habitam orationem absolvit: *Haec, Fratres, vobiscum sollicite cogitate, haec et proximis vestris impendite; omnipotenti Deo fructum vos reddere de negotio quod accepistis parate. Sed ista quae dicimus melius apud vos orando quam loquendo obtinebimus.* Oremus: *Deus, qui nos pastores in populo vocare voluisti, praesta quaesumus, ut hoc quod humano ore dicimur, in tuis oculis esse valeamus* [2].

[1] Ad Ephes. I, 10.
[2] Hom. cit., n. 18.

Dum vero confidimus, deprecatore pontifice sancto Gregorio, Deum supplicibus his votis benignas aureas admoturum, caelestium donorum auspicem ac paternae Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem vobis omnibus, Venerabiles Fratres, clero ac populo vestro peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum IV Idus Martias an. MDCCCCIV, die festo S. Gregorii I Papae et Ecclesiae Doctoris, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
DIVIDITVR DIOECESIS PROVIDENTIENSIS
ET ERIGITVR NOVA DIOECESIS RIVERORMENSIS

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Superni apostolatus officium Nobis divinitus commissum postulat, ut ea sedulo studio praestemus, quae in catholici nominis incrementum exploratamque christianae plebis utilitatem cedunt. Iam vero cum Venerabilis Frater Matthaeus Harkins, Episcopus Providentiensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, enixe postulaverit a Sancta Sede, ut ad incrementum religionis et ad maius bonum animarum nova dioecesis erigeretur per divisionem dioeceseos commissae sibi, cumque Venerabiles Fratres Archiepiscopus Bostoniensis et Episcopi comprovinciales eiusdem petitionem unanimi consensu commendaverint; Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, attentoque gravissimo suffragio Venerabilis Fratris Diomedis Falconio, Delegati Apostolici in praefata regione, oblatis precibus annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus hae Literae favent, peculiari benevolentia

complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum e Dioecesi Providentiensi eam partem distrahimus, quae sita est in Statu vulgo *Massachussets* appellato, atque ex ea novam Dioecesim instituimus cum Episcopali, residentia in civitate *Fall-River,* a qua ipsa nomen *Riverormensis* habebit, et cum Cathedratico pro sua mensa Episcopali discreto arbitrio Episcopi imponendo. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI

LETTERA

AL DILETTO FIGLIO
CONTE STANISLAO MEDOLAGO ALBANI
PRESIDENTE DEL II° GRUPPO
DELL' OPERA DEI CONGRESSI CATTOLICI

DILETTO FIGLIO,
SALUTE E APOSTOLICA BENEDIZIONE

Fra le tante dimostrazioni di affetto alla Nostra persona e di divozione a questa S. Sede Apostolica, pervenuteci nella festa di S. Giuseppe, soavissima Ci è riuscita quella, che voi, diletto figlio, Ci avete fatta anche in nome dei membri del II° Gruppo dell'Opera dei Congressi. E questo specialmente poichè ai voti ed augurî pel Nostro benessere si aggiunge la solenne promessa di costante e incondizionata obbedienza nell'applicare le dottrine sociali della Chiesa alla restaurazione della società in Cristo.

Infatti, quantunque non abbiamo avuto mai motivo per dubitare di tali sentimenti, sempre manifestati colle opere, questa nuova conferma Ci reca maggior conforto e Ci rassicura. Siamo per ciò persuasi che il II° Gruppo nella sua azione si sforzerà non solo a tener lontani i suoi ascritti da quelle società, che sono causa diretta d' intellettuale e morale pervertimento, ma si adoprerà eziandio in tutte le

guise per allontanare i suoi membri anche da quelle istituzioni *neutre* le quali, sorte in apparenza a tutela dell'operaio, hanno altro scopo da quello principale del vero bene morale ed economico degli individui e delle famiglie. — E in ordine a questo dichiariamo che in avvenire non dovranno ritenersi come istituzioni sociali cattoliche quelle che non facciano piena adesione al II° Gruppo dell'Opera dei Congressi; nè il Clero, specialmente per esimersi da gravi responsabilità, potrà prendere parte a società che, quantunque apparentemente buone, vogliano sottrarsi ad una sorveglianza che corrisponde ad una valida protezione. Con tale proposito Noi siamo certi d'interpretare il desiderio dei Nostri Venerabili fratelli, i Vescovi, che per le opere di azione popolare cattolica saranno così liberati da ulteriori fastidi, e il più delle volte anche da gravissimi dispiaceri.

Approfittiamo poi di questa occasione per richiamare l'attenzione del II° Gruppo su tutti coloro che, facili a correre dietro alle novità, si lasciano adescare da quelli, che sotto speciose apparenze nascondono il fine di servirsi di essi come d'istrumento per mettere in esecuzione le loro, per lo meno, dubbiose intenzioni.

Si adoperi quindi il II° Gruppo dell'Opera dei Congressi a contenere nei giusti limiti specialmente i giovani, che nella loro generosità, ma non sempre con maturo giudizio, volendo riformare tutto, aspirano ad imprese ardite, e, sia pure col desiderio del meglio, non raggiungono il bene. E qualora alle amichevoli osservazioni non si mostrassero obbedienti, sieno esclusi dall'Opera vostra, che non cerca il numero, ma la concordia amorevole, senza la quale il vero bene non

si può mai conseguire. — Continuate adunque, diletto figlio, come avete fatto fin qui insieme ai vostri egregi colleghi, a promuovere e dirigere non solo le istituzioni di carattere puramente economico, ma ancora le affini: le unioni professionali e padronali, mettendole in buon accordo, i segretariati del popolo pei consigli legali ed amministrativi, regolando pur anche nel miglior modo le opere per gli emigrati, e quelle di sana propaganda e di studio; e a voi non mancheranno i più soavi conforti. — In quanto a Noi, vi aiuteremo sempre colla Nostra autorità e parola, e pregheremo costantemente il Signore, che accordi a tutti la grazia di continuare con zelo imprese così sante e salutari.

Ad incoraggiamento poi e come pegno di particolare benevolenza, a voi, diletto figlio, ai Consiglieri del II° Gruppo, alle vostre famiglie e a quanti hanno parte alla vostre opere impartiamo con effusione di cuore l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano 19 Marzo 1904.

PIVS PP. X

DE ECCLESIAE LEGIBVS IN VNVM REDIGENDIS

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Arduum sane munus universae Ecclesiae regendae ubi primum, arcano divinae Providentiae consilio, suscepimus, praecipua Nobis mens fuit et quasi lex constituta, quantum sinerent vires, instaurare omnia in Christo. Hanc voluntatem vel primis encyclicis Litteris ad catholici orbis Antistites datis patefecimus; ad hanc veluti metam omnes animi nostri vires hactenus intendimus; huic principio coepta Nostra conformanda curavimus. Probe autem intelligentes ad instaurationem in Christo ecclesiasticam disciplinam conferre maxime, qua recte ordinata et florente, uberrimi fructus deesse non possunt, ad ipsam singulari quadam sollicitudine studia Nostra animumque convertimus.

Equidem Apostolica Sedes, sive in Oecumenicis Conciliis, sive extra Concilia, nunquam intermisit ecclesiasticam disciplinam optimis legibus instruere pro variis temporum conditionibus hominumque necessitatibus. At leges, vel sapientissimae, si dispersae maneant, facile ignorantur ab iis qui eisdem obstringuntur, nec proinde, uti par est, in usum deduci possunt. Hoc ut incommodum vitaretur, atque ita ecclesiasticae disciplinae melius consultum esset, variae sacro-

rum canonum Collectiones confectae sunt. Antiquiores praetereuntes, commemorandum heic ducimus Gratianum, qui celebri *Decreto* voluit sacros canones non modo in unum colligere, sed inter se conciliare atque componere. Post ipsum Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Bonifacius VIII, Clemens V cum Ioanne XXII, Decessores Nostri, Iustinianeum opus imitati pro Iure romano, Collectiones authenticas Decretalium confecerunt ac promulgarunt, quibus postremis tribus cum Gratiani Decreto vel hodie *corpus* quod dicitur *iuris canonici* praesertim coalescit. Quod quum Tridentina Synodus et novarum legum promulgatio impar reddiderint, Pontifices Romani Gregorius XIII, Xystus V, Clemens VIII, Benedictus XIV, animum adiecerunt sive adornandis novis corporis iuris canonici editionibus, sive aliis sacrorum canonum Collectionibus parandis; quibus novissime Collectiones authenticae decretorum accesserunt sacrarum quarundam Congregationum romanarum.

Verum per haec si quid allatum est quo, pro temporum adiunctis, difficultates minuerentur, rei tamen haud satis prospicitur. Ipsa namque Collectionum congeries non levem difficultatem parit; saeculorum decursu leges prodiere quamplurimae, in multa congestae volumina; non paucae, suis olim aptae temporibus, aut abrogatae sunt aut obsoleverunt; denique nonnullae, ob immutata temporum adiuncta, aut difficiles ad exequendum evaserunt, aut communi animorum bono minus utiles.

His incommodis pro nonnullis iuris partibus, quae urgentioris erant necessitatis, occurrere curarunt ex Decessoribus Nostris praecipue Pius IX et Leo XIII sa. me., quorum

alter per Constitutionem *Apostolicae Sedis* censuras coarctavit latae sententiae, alter leges de publicatione ac censura librorum temperavit per Constitutionem *Officiorum et munerum*; et normas constituit Congregationibus religiosis cum votis simplicibus per Constitutionem *Conditae a Christo.* At illustres Ecclesiae Praesules, iique non pauci etiam e S. R. E. Cardinalibus, magnopere flagitarunt ut universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur, amotis inde quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis, ubi opus fuerit, ad nostrorum temporum conditionem propius aptatis: quod idem plures in Vaticano Concilio Antistites postularunt.

Haec Nos iusta sane vota probantes ac libenter excipientes, consilium cepimus eadem in rem tandem deducendi. Cuius quidem coepti quia Nos minime fugit quanta sit amplitudo et moles, idcirco motu proprio, certa scientia et matura deliberatione decernimus et perficienda mandamus quae sequuntur.

I. Consilium, sive, ut aiunt, *Commissionem* Pontificiam constituimus, quam penes erit totius negotii moderatio et cura, eaque constabit ex nonnullis S. R. E. Cardinalibus, a Pontifice nominatim designandis.

II. Huic Consilio ipse Pontifex praeerit, et Pontifice absente, Cardinalis decanus inter adstantes.

III. Erunt praeterea iusto numero Consultores, quos Patres Cardinales e viris canonici iuris ac theologiae peritissimis eligent, Pontifice probante.

IV. Volumus autem universum episcopatum, iuxta normas opportune tradendas, in gravissimum hoc opus conspirare atque concurrere.

V. Ubi fuerit constituta ratio in huiusmodi studio sectanda, Consultores materiam parabunt suamque de ipsa sententiam in conventibus edent, praeside illo, cui Pontifex mandaverit Consilii Cardinalium esse ab actis. In eorum deinde studia et sententias PP. Cardinales matura deliberatione inquirent. Omnia denique ad Pontificem deferantur, legitima approbatione munienda.

Quae per has Litteras a Nobis decreta sunt, ea rata et firma volumus, contrariis quibusvis etiam speciali aut specialissima mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, XIV Cal. April. die festo S. Iosephi, Sponsi B. M. V., MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS PRAEFECTVRA APOSTOLICA
INSVLARVM NOVARVM EBRIDARVM IN OCEANIA
ERIGITVR IN VICARIATVM

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, qui suprema sibi divinitus commissa in universam Ecclesiam auctoritate pollent, Catholicas Missiones, quibus incrementum fidei concreditur, alacri iugiter studio provehere, et iis, quas aucto christifidelium numero praestare ceteris norint, peculiaria iura et honores pro re ac tempore addere consueverunt. Cum vero Praefectura Apostolica haud pridem erecta in insulis Oceaniae, quae Novae Ebridae appellantur, opitulante Deo, felices progressus habuerit, Nos ad eiusdem Missionis decus augendum, eiusque incrementum magis magisque promovendum, omnibus rei momentis attente perpensis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, memoratam Apostolicam Praefecturam in Vicariatum Apostolicum erigendam esse censuimus. Quare omnes et singulos, quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas

forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, de Apostolicae potestatis plenitudine praesentium vi Praefecturam Apostolicam Insularum Novarum Ebridarum in Oceania in Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus cum omnibus et singulis iuribus, honoribus, praerogativis, privilegiis, indultis, quae ad huiusmodi Vicariatus Apostolicos pertinent, eique idem imponimus nomen. Decernentes has Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS OPERI PROPAGATIONIS FIDEI
PATRONVS CAELESTIS DATVR S. FRANCISCVS XAVERIVS
HVIVSQVE SOLEMNE AD RITVM DVPLICEM MAIOREM EVEHITVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In Apostolicum sublecti munus, atque in ipso christiani sacerdotii vertice divinae clementiae dono collocati, longe maiorem profecto sollicitudinem sustinendam suscepimus, quam quae Romani vigilantia gregis contineatur. Excessurus enim e terris Christus Apostolos iussit, et in his Petrum praecipue, quem non modo dignitate, sed etiam caelestis gloriae studio praelucere ceteris voluit, gentes edocere universas, salubremque doctrinae novae praedicationem ad remotissimas quasque aut immanissimas orbis partes afferre. Porro divinis praeceptis obsequentes Decessorumque Nostrorum clarissima exempla sectantes, nihil esse magis officio Nostro consentaneum arbitramur, quam ut, si quae ad patefaciendum Evangelii lumen atque ad proferendos Ecclesiae terminos videantur conducere, iis voluntatem omnem gratiamque impertiamus. Inter haec autem utilitate atque opera praestat opus illud, summa laude dignum, quod a *Fidei propagatione* nobile nomen accepit. Huius origo operis divino

plane instinctu in medios homines profecta videtur. Nam fidelis Ecclesiae populus, quum non in praedicanda Christi doctrina haberet sibi demandatam provinciam, consultum Dei providentia est ut stipe ac subsidiis Evangelii praecones iuvaret. Suasit hac de causa caritas, qua in Redemptorem Christum optimorum hominum pectora urgebantur, fideles ex omni gente ac natione coalescere in unum, conferre ex opibus aliquid in expeditiones sacras submittendum, sociata etiam prece administris sacrorum succurrere, atque ita id assequi quod votorum summa esset, divini nempe regni in terris incrementum. Compertum autem apud omnes est id genus sodalitatem praeclare de propaganda christiana fide meruisse. Quod enim suppeteret unde catholicae doctrinae nuntii ad dissita ac barbara loca contenderent, beneficia illuc Religionis nostrae humanique cultus allaturi, tam nobilis coetus tribui largitati debet. Hinc initia salutis innumeris populis parta; hinc fructus animarum comparati tanti, quantos nemo aestimet rite, nisi qui effusi per Christum sanguinis virtutem pernorit; hinc, contra quam expectari a disiunctis hominum viribus posset, Evangelii evulgandi legi mire obtemperatum. Haec Nobiscum sodalitatis promerita reputantes, nullo non tempore sensimus in coetum insignem Nos studio ferri, nec vero illi pro tenui adiumenti parte defuimus, maiora tamen animo spectantes, si facultas, Deo propitio, daretur. Iam quoniam id Nobis Omnipotentis Dei benignitas dedit, ut ex hac Petri Cathedra spiritualia fidelibus commoda dispertire possemus, praetermittere nolumus, ut quem supra laudavimus coetum peculiari quodam benevolentiae argumento honestemus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus

Nostrae hae Literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Auctoritate Nostra Apostolica, praesentium vi, ut cum externis Sodalitatis praesidiis tutela quoque et gratia de superis congruat, Sanctum Franciscum Xaverium caelestem eidem Patronum eligimus, damus, eique volumus omnes honorificentias tribui caelestibus Patronis competentes; huiusque diem festum, ut ad amplificandam ipsius celebritatem humanae quoque observantiae ampliorisque liturgiae accessio ne desit, Apostolica similiter Nostra Auctoritate per praesentes ad ritum Duplicem Maiorem, servatis rubricis, apud universam Ecclesiam provehimus. Est huic Caeliti cum Opere *Fidei Propagandae* ratio quaedam singularis et propria. Etenim cum vitam Franciscus ageret, tanto animum studio talique cum eventu ad imbuendos christiana veritate populos appulit, ut instrumentum Numinis electum in eo reviviscere non secus atque in ipsis Apostolis videretur. Quapropter spes Nos bona tenet, coetum hunc nobilissimum maiora in dies incrementa, deprecatore Francisco, fore suscepturum, atque etiam ubertate fructuum, numero Sodalium, omniumque, qui stipem conferant liberalitate ac diligentia eo deventurum brevi, ut hanc eminentem atque apparentem rem praestet, sicut a Christo est Ecclesia condita, in qua salus credenti omni paretur, ita *Sodalitatem Fidei Propagandae* esse divino consilio excitatam, ut nondum credenti Evangelii lumen affulgeat. Quam quidem ad rem multum procul dubio proficient Catholicorum voluntates, etsi disiuncte ac privatim liberales se praebebunt ad munera:

verum nihil erit ad utilitatem praestantius quam si decuriati Catholici viri conferant, quemadmodum est prudentia summa provisum. Scilicet quae minus inter se vires cohaerent, minus valent ad caussam; valent vero quamplurimum coniuncta et colligata ordine studia. Illas recte facere dicemus, ista etiam rite. Servator autem et instaurator humani generis Christus, cuius sanctissimo propagando nomini coetus incumbit, tegat gratia praesidioque opus: qui enim non auro vel argento, sed pretioso Filii Dei sanguine redempti vivimus, divinam imprimis spem contendere cum magna prece debemus. Haec mandamus, praecipimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXV Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ATTILIO RAZZOLINI, MACHINATORI
FLORENTIAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Exemplar libentissime excepimus Divinae Alligherii Comoediae, quam eximiis illustrem tabulis elegantique excultam manu edidisti. Gratum Nobis ac iucundum humanitatis observantiaeque munus: gratior autem insignis operis artificiique conspectus. Virtus sane tua ac peritia avitum italicae claritudinis decus exauget, in qua unam omnium nobilissimam comitem ac famulam carminum Alligherii reperias. Quapropter gratulationem a Nobis accipias ac laudem, singularemque, qua praestas, artem maiore in dies studio tractans, egregia religionis litterarumque monumenta celebrare ne desistas. Praemio pietatem industriamque tuam, benevolentis animi pignore, honestantes, auspicem caelestium donorum Apostolicam Benedictionem amantissime tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO

HENRICO ALOISIO ODELIN, VICARIO GENERALI PARISIENSI

AC PRAESIDI OPERIS AD ADOLESCENTVLAS TVTANDAS

PARISIOS

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cuius moderator es operis, ad adolescentulas nempe tutandas, praesertim populares, grate admodum iucundeque enarrasti Nobis miros ab ortu processus. Quae enim sodalitas medio saeculo superiore modicis initiis est excitata, eo nunc nobilitate atque emolumento rei est adducta, ut universum fere per orbem innumerabili adolescentium multitudini opituletur. Tam ubere fructuum copia, quibus non modo externa puellis comparatur utilitas, verum etiam animorum bono integritatique prospicitur, magnopere gaudemus, tibique ac singulis praestantissimi operis sociis enixe gratulamur. Quod si deerrantes ad virtutis normam revocare laudi vertimus, probandum commendandumque multo magis arbitramur caritate et cautione animorum discrimini occurrere. Haec vos persequi commoda diligentia summa studetis, plu-

rimasque licet inde adolescentes spectare, in quibus vitae innocentia curis vestris effulgeat, tunc temporis profutura maxime quum gravissima ipsis demandari vitae munia contingat. Placet idcirco vota Nostra ad maiora sodalitatis incrementa convertere, Deumque dum obsecramus ut vestris conatis benignus adspiret, fideles omnes, quotquot caritatem animis alunt, hortamur uti coetui velint opem afferre, hominumque societati adiumento sint, datis virtuti tuendae subsidiis. Auspicem divinorum munerum Apostolicam Benedictionem tibi ac ceteris, qui laudatam tecum operam navant, peramenter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
EPISCOPO BARCINONENSI EIVSQVE SVCCESSORIBVS
PALLII VSVS CONCEDITVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ad Hispanas Nos quidem oras, pro exploratissimo eius gentis in Romanum Pontificem studio, studiose respicientes, oculos Tarraconensi provinciae in praesens adiicimus. Movemur quippe vetustissima eius nobilitate Ecclesiae, quam ipsis exorientis christianae rei temporibus aequalem reperimus. Etenim memoriae traditum est Iacobum et Paulum apostolos Tarraconem ob celebritatem opportunitatemque loci, siquidem Hispaniae Citerioris caput erat, quum appulissent, ibidem prima apud Hispanos christiani nominis initia posuisse. Extat autem ex monumentorum fide testatum, Archidioecesim Tarraconensem inter praecipuas Catholici Orbis mature haberi coeptam, eiusque Metropolitas magna semper Apostolicae Sedis existimatione et gratia floruisse. His certe accepimus id tributum esse antiquitus, ut quae Romanus Pontifex praescripsisset, ea non suae solummodo provinciae, sed cunctis Hispaniae Ecclesiis denuntiarent servandaque curarent: quo pertinent S. Siricii ad Himerium, S. Hilarii ad Ascanium

S. Hormisdae ad Ioannem litterae. Deinceps ad hanc usque aetatem, complura eaque praeclara extiterunt Decessorum Nostrorum testimonia, quae Metropolitanae Sedis Tarraconensis eiusque provinciae dignitatem illustrarent. Iamvero Archidioecesis eiusdem decora, non ita in Metropolitana consistant Ecclesia, ut non etiam in subiectis sedibus, Barcinonensi nominatim, niteant. Etenim non dubium quin inter splendidiores Hispaniae urbes numeranda sit Barcino, vel civium copia, vel advenarum affluentia, vel mercaturae atque artium spectetur vigor. In eo autem quod caput est, nimirum in amore cultuque religionis avitae, in obsequio observantiaque erga B. Petri Cathedram, sic gerere sese intelligimus Barcinonensem Civitatem, ut nulli concedere videatur. Profecto vulgaria non sunt quae catholici homines, praesertim vario consociati foedere, dant ibi sollertiae et alacritatis exempla ad tuendum in omni genere vitae christianum decus: quarum consociationum benefica virtus, in bonum maxime operariae plebis, non solis Catalauniae finibus continetur. Haec Nos animo reputantes, par esse omnino ducimus, quod iam pluries a Decessoribus novimus factum, ut insignem aliquam Episcopalem Ecclesiam sacri Pallii honore decorarent, id ipsum praestari a Nobis ad Barcinonensem ornandam Sedem, eo magis quod eandem qui hodie obtinet, virtutum suarum non minus quam Romanae purpurae splendore condecorat. Porro Ecclesiae quoque Tarraconensi, cuius ceteroquin praestantiam Metropoliticam, volumus, uti antehac, ita nunc et in posterum esse salvam, rem Nos pergratam facturos arbitramur: siquidem ad ipsius amplificandam dignitatem recidit subditae Sedi collatus honor. Simul hinc fore confidimus ut arctiora, si

possit, fiant necessitudinis vincula, quae utramque Ecclesiam cum Romana iungunt. Itaque Dilecto Filio Nostro Salvatori S. R. E. Presbytero Cardinali Casañas y Pagès hodierno, ex dispensatione Apostolica, Barcinonensi Episcopo, eiusque in dicto Episcopatu futuris successoribus Pallii usum in sollemnibus, secundum sacros Canones praescriptis, et in dioecesi Barcinonensi dumtaxat et non alibi, etiamsi Ordinarii consensus accedat, gestandi, Apostolica Auctoritate Nostra, praesentium tenore, concedimus atque indulgemus. Quod vero attinet ad futuros in eodem Episcopatu successores, volumus et mandamus, ut novus semper Episcopus Pallium ab Sede Apostolica postulet, illudque de corpore B. Petri Apostolorum Principis sumptum, a Romano Pontifice accipiat, omniaque ea serventur, quae servari solita sunt quum Archiepiscopis Pallia traduntur. Hoc concedimus et mandamus, decernentes praesentes Literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO
DIONYSIO SCHVLER
ORDINIS MINORVM MINISTRO GENERALI

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Doctoris Seraphici sapientiam, Ecclesiae Catholicae non minus quam Franciscalis familiae immortale lumen, optimo sane consilio sodales Ordinis tui suscepere refovendam, quum abhinc non paucis annis opera eius, quae extarent, omnia rursus edere, congruenter eruditioni horum temporum, aggressi sunt. Cuius quidem magni laboriosique incoepti, uti Decessor Noster, fel. rec. Leo XIII primitias progressionesque admodum probavit, ita Nos felicem exitum, integra voluminum accepta dono serie, vehementer gratulamur, Id autem non vestra solum causa facimus, sed communi. Etenim Bonaventuram, utpote non suo dumtaxat saeculo, sed omni posteritati, quamadmodum ceteros summos Ecclesiae Doctores, datum divinitus, egregie prodesse huic etiam aetati posse arbitramur, si, quod sperare post vestros labores licet, multo plures invenerit studiosos sui. Eo magis

quod is princeps Scholasticorum alter extitit cum Aquinate, cuius in Philosophia ac Theologia disciplinam Nos, Decessorem secuti, magnopere commendandam, datis proxime ad Urbanam S. Thomae Academiam litteris, censuimus. Sed praecipuos ex hac editione fructus doctrinae fore ut alumni tui, scripta S. Bonaventurae pervolutando, percipiant non modo confidimus, certum habemus. Novimus enim in tuo Ordine, una cum amore nobilium Magistrorum, qui Franciscanam Scholam, medio maxime aevo, illustrarunt, doctrinarum studia, ad rationem viamque exacta quam requirunt tempora, dudum revirescere in spem dignitatis pristinae coepisse. Quo in genere duo, honoris causâ, Collegia nominamus: Antonianum in Urbe, ubi delectorum ex universo Ordine alumnorum flos ad magisteria gravioraque munia rite educitur, et Sancti Bonaventurae Collegium ad Claras Aquas, unde ipsius Seraphici Doctoris, typis impressa, prodiere nuper Opera, itemque alios Minorum auctores de integro vulgatum iri intelligimus. — Omnino istum studiorum optimorum cultum, in Minoritica familia incalescentem, Nos et ornandum laude, et hortatione acuendum etiam putamus. Siquidem praeter artes exercitationesque virtutum, quae ad conformandos recte spiritus pertinent, nihil est quod ad sacra digne exsequenda officia et munera magis opus sit, quam doctrina; cuius ipsa opinio, reverentiam hominum sacerdoti concilians, perfunctionem sacri ministerii facit fructuosiorem.

Restat ut de oblatis voluminibus, in quibus, aeque ac Decessor Noster, criticae artis peritiam, animadversionum opportunam copiam, ipsam litterarum elegantem formam dilaudamus, non mediocres, uti par est, agamus gratias. Votum

adiicimus, ut augescente, vel extra Ordinis Franciscalis fines, Sancti Bonaventurae amore et studio, nulla brevi sint vobis huius editionis exemplaria reliqua. — Auspicem caelestium bonorum, ac singularis Nostrae benevolentiae testem, tibi dilecte fili, omnibus qui editionem accurarunt, Ignatio Jeiler in primis, tum universae Minorum familiae, cui praees, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XI Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO SEBASTIANO TIT. BASILICAE DVODECIM APOSTOLORVM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI NETO
OLYSSIPONENSIVM PATRIARCHAE

OLYSSIPONEM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Supremi pastoralis muneris, quo in Christo fungimur, pars quidem non ultima est exterae iuventutis variis domiciliis in Urbe positis omni utilitate prospicere, ubi iuvenes omni ex gente delecti in spem Ecclesiae veluti in plantario succrescunt. Hi enim quasi in oculis Nostris quotidie versantes, incorruptam Christi sapientiam ex ipso Petri fonte hauriunt, quam, sacerdotio aucti iidemque in patriam remissi, faciliori ratione inter suos praedicare consueverint. In horum collegiorum numero illud quippe recensemus, ubi flos Lusitanae iuventutis ad sacerdotale munus formatur: quod a Leone XIII, immortalis memoriae Decessore Nostro, conditum, veluti ceteris aetate in Urbe recentius est, ita maiori cura atque effusiori caritate complectimur. Emolumentorum enim non mediocris copia brevi temporis spatio exinde relata

certam ampliorum fructuum spem praebet, qui in Lusitanum Clerum in posterum dimanabunt. Porro sacrorum alumni eo recepti iidemque dilecti filii Iacobi Sinibaldi sacerdotis optima disciplina instituti, virtutis doctrinaeque laude sic florent ut non modo facile hinc Nobis coniectare liceat eorum ministerium religioni neque minus civitati fore perutile, sed Ipsimet iam pridem constituerimus omnes vires Nostras in huius Instituti bonum utilitatemque conferre. Verum in tanta benevolentis animi, qua ducimur, propensione, dolet vehementer quod non Lusitani omnes inceptis studiisque Nostris eo animi ardore consenserint, quem operis excellentia expostulabat. Qua ex re factum putamus ut incerti quidam rumores serpant ad Lusitani Collegii decus minuendum ab iis plane conflati, qui aut animum instituto iniuste adversantem gerunt, aut conditionem eius male docti levi mente diiudicant.

Quae omnia tibi, dilecte Fili Noster, aperire voluimus, ut quibus caritatis et iustitiae sensibus praestas, omnes et singulos religiosissimos Lusitaniae Antistites de hac mente Nostra certiores faceres eosque omni officiorum genere incenderes in hoc opus, quod quum iis summo emolumenti erit, tum genti vestrae universae decore insigni futurum esse promittit. — Interea bene sperantes ut Virginis ab omni labe immunis patrocinio omnia feliciter exeant, et tibi et omnibus Venerabilibus Fratribus Lusitaniae Episcopis Benedictionem Apostolicam amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PETRO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI COVLLIÉ
ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI ET VIENNENSI
LVGDVNVM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod tibi vehementer ista probetur consociatio, cui nomen *Société de secours mutuels pour la Propagation du Plain Chant,* equidem non miramur. Tale enim persequitur propositum, quod valde cordi sit Episcopo, curanti, prout officium postulat, ut augustae Altaris caeremoniae rite usquequaque peragantur. Cognitionem autem usumque Gregoriani cantus vulgando, operam apprime utilem navat christiano populo, quem ad sustinendas melius in sacrorum celebratione rituum suas partes adducit, magno cum pietatis publicae incremento. Nobis vero facile intelligis pergratas accidisse eiusdem Societatis litteras, quas, tua ipsius commendatione auctas, perferendas ad Nos proxime curasti. Itaque dilecto filio Iosepho Lucien-Brun, praesidi, universisque sodalibus gratias Nostro nomine agas cupimus de studiosae obse-

quentisque voluntatis testimoniis, gratuleris de perceptis adhuc suae diligentiae fructibus, significes Nos eis, ut bene de Ecclesia mereri pergant, lectissima quaeque a Deo precari munera. Horum auspicem itemque paternae benevolentiae Nostrae testem, tibi, Dilecte Fili Noster, memoratae Societati, cui honoris causâ praesides, cunctoque clero et populo tuo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXI Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EDIZIONE VATICANA DEI LIBRI LITURGICI
CONTENENTI LE MELODIE GREGORIANE

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Col Nostro *Motu Proprio* del 22 Novembre 1903 e col susseguente Decreto, pubblicato per Nostro ordine dalla Congregazione dei Sacri Riti l'8 Gennaio 1904, abbiamo restituito alla Chiesa Romana l'antico suo canto gregoriano, quel canto che essa ha ereditato dai padri, che ha custodito gelosamente nei suoi codici liturgici e che gli studî più recenti hanno assai felicemente ricondotto alla sua primitiva purezza. A fine però di compiere, come è conveniente, l'opera incominciata e di fornire alla Nostra Chiesa Romana ed alle Chiese tutte del medesimo rito il testo comune delle melodie liturgiche gregoriane, abbiamo decretato d'imprendere coi tipi della Nostra Tipografia Vaticana la pubblicazione dei libri liturgici contenenti il canto della Sacrosanta Chiesa Romana da Noi restituito.

E perchè ogni cosa proceda con piena intelligenza di tutti coloro che sono o saranno chiamati da Noi ad offerire il tributo dei loro studî ad un'opera di tanta importanza,

e il lavoro proceda con la debita diligenza ed alacrità, stabiliamo le norme seguenti:

a) Le melodie della Chiesa, così dette gregoriane, saranno ristabilite nella loro integrità e purezza secondo la fede dei codici più antichi, così però che si tenga particolare conto eziandio della legittima tradizione, contenuta nei codici lungo i secoli, e dell'uso pratico della odierna liturgia.

b) Per la speciale Nostra predilezione verso l'Ordine di S. Benedetto, riconoscendo l'opera prestata dai monaci benedettini nella restaurazione delle genuine melodie della Chiesa Romana, particolarmente poi da quelli della Congregazione di Francia e del Monastero di Solesmes, vogliamo che per questa edizione, la redazione delle parti che contengono il canto, sia affidata in modo particolare ai monaci della Congregazione di Francia ed al Monastero di Solesmes.

c) I lavori così preparati saranno sottomessi all'esame ed alla revisione della speciale Commissione romana, da Noi recentemente a questo fine istituita. Essa ha l'obbligo del segreto giurato per tutto ciò che riguarda la compilazione dei testi ed il corso della stampa; il quale obbligo dovrà estendersi anche alle altre persone fuori della Commissione, che fossero chiamate a prestare al medesimo fine l'opera loro. Dovrà inoltre procedere nel suo esame con la massima diligenza, non permettendo che nulla sia pubblicato, di cui non si possa dare ragione conveniente e sufficiente e, nei casi dubbî, chiedendo il parere di altre persone, fuori della Commissione e della Redazione, che siano riconosciute

valenti in questo genere di studî e capaci di pronunciare un giudizio autorevole. Che se nella revisione delle melodie occorressero difficoltà per ragione del testo liturgico, la Commissione dovrà consultare l'altra Commissione storico-liturgica, già precedentemente istituita presso la Nostra Congregazione dei Sacri Riti, in guisa che ambedue procedano concordi in quelle parti dei libri che formano oggetto ad ambedue comune.

d) L'approvazione da darsi da Noi e dalla Nostra Congregazione dei Sacri Riti ai libri di canto così composti e pubblicati sarà di tal natura, che a niuno sarà più lecito di approvare libri liturgici, se questi, eziandio nelle parti che contengono il canto, o non siano del tutto conformi all'edizione pubblicata dalla Tipografia Vaticana sotto i Nostri auspicî, o per lo meno, a giudizio della Commissione, non siano per tal modo conformi, che le varianti introdotte si dimostrino provenire dall'autorità di altri buoni codici gregoriani.

e) La proprietà letteraria dell'edizione Vaticana è riservata alla Santa Sede. Agli editori e tipografi di ogni nazione, che ne faranno dimanda e che sotto determinate condizioni offriranno sicura guarentigia di saper ben condurre il lavoro, accorderemo la grazia di poterla riprodurre liberamente come loro meglio aggrada, di farne estratti e di spargerne ovunque le copie.

Così, con l'aiuto di Dio, confidiamo di potere restituire alla Chiesa l'unità del suo canto tradizionale in modo rispondente alla scienza, alla storia, all'arte e alla dignità del culto liturgico, per quanto almeno consentono gli studî odierni

e riservando a Noi ed ai nostri Successori la facoltà di altrimenti disporre.

Dato in Roma presso S. Pietro, il 25 Aprile 1904, festa di S. Marco Evangelista, del Nostro Pontificato l'anno primo.

PIVS PP. X

COMMISSIONE PONTIFICIA

PER L' EDIZIONE VATICANA

DEI LIBRI LITURGICI GREGORIANI

MEMBRI DELLA COMMISSIONE.

Revmo D. GIUSEPPE POTHIER O. S. B., Abate di Saint-Wandrille, *Presidente*.

Mons. CARLO RESPIGHI, Ceremoniere pontificio.

Mons. LORENZO PEROSI, Direttore perpetuo della Cappella Sistina.

R. D. ANTONIO RELLA, di Roma.

R. P. D. ANDREA MOCQUEREAU O. S. B., priore di Solesmes.

R. P. D. LORENZO JANSSENS O. S. B., rettore di S. Anselmo *de Urbe*.

R. P. ANGELO DE SANTI S. I.

Prof. Barone RODOLFO KANZLER, di Roma.

Prof. dott. PIETRO WAGNER, di Friburgo (Svizzera).

Prof. H. G. WORTH, di Londra.

CONSULTORI DELLA COMMISSIONE.

R. D. RAFFAELLO BARALLI, di Lucca.

R. D. F. PERRIOT, di Langres.

R. D. ALESSANDRO GROSPELLIER, di Grenoble.

R. D. RENATO MOISSENET, di Dijon.

R. D. NORMANNO HOLLY, di New-York.

R. P. D. Ambrogio Amelli O. S. B., priore di Montecassino.

R. P. D. Ugo Gaisser O. S. B., del Collegio greco di Roma.

R. P. D. Michele Horn O. S. B., del Monastero di Seckau.

R. P. D. Raffaele Molitor O. S. B., del Monastero di Beuron.

Prof. Amedeo Gastoué, di Parigi.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
EVGENIO PRÉVOST, SACERDOTI
PARISIOS

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Navitas egregia tua, quae in opere parando condendoque eluxit, Leonis XIII fel. rec. Decessoris Nostri singulari laude honestato, intimo Nos laetitiae sensu perfundit. Scribis enim florere sodalitatem a te paucos ante annos excitatam, in qua, praecellentissimae caritatis instinctu, cura impenditur iis, qui in sortem Domini vocati, ab officio et gratia misere deflexerint. Nimirum probe tenes quanta clericos oporteat sanctitate fulgere, quorum ministerii dignitas omni vitae generi praestat. Integros quippe mores sic alere et custodire iisdem est opus, ut haud indigni famulatu illius existimentur cuius natura sanctitas est. Quapropter viros sacri ordinis tam religiose et graviter se gerere iubet Augustinus, ut divini illico agnoscantur homines, per quos condiendi sunt quodammodo populi. Iis nempe non modo cavendum ne a probitate discedant, sed contentio adhibenda est

omnis ut expressam virtutis imaginem ad imitandum ostendant, tantumque praeter ceteros viros bonos excellant, quanto terris praestantius est caelum. Haec quum essent tibi, sacerdoti optimo, explorata, plurimi quoque referre intellexisti ut, si quis e multis in clero immemorem se honestissimae dignitatis impertiat, is studio omni ac diligentia ad integritatis consilia revocetur. Possit ne pietas aut caritas esse magis animo Nostro iucunda? Nam si insita Nostro in corde atque affixa summopere est christiani gregis universi sollicitudo, at compertum quoque et perspicuum habemus informari recte aut componi fidelium mores non posse, exemplis aliquando sacerdotum adversis. O utinam ferat tibi Deus opem, qui tantae facinus utilitatis es aggressus! A Nobis quidem quantum est, nec animus tibi ad perficiendum deerit, nec perfectae probatio rei. Perge igitur, dilecte fili, secundis coeptis alacriter insistere, Nostraque confide laude, praecipua quidem ac merita, eo vel magis quod in ipsis aedibus in quibus aberrantes a recto tramite excipiuntur, iis etiam a caritate vestra locus patet qui, senio aut valetudine, impares sacro muneri sint effecti. Praemium porro reddet profecto Deus, sanctissimi conditor sacerdotii, suorumque administrorum custos providentissimus. Nos interim uberes tibi caelestes gratias deprecamur, earumque auspicem ac Nostrae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem tibi tuisque sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
FRANCISCO NACKE, ANTISTITI VRBANO, PROPRAESIDI
CETERISQVE VIRIS DE SVPREMO CONSILIO
SOCIETATIS BONIFACIANAE

PADERBORNAM

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Non ignota Nobis quidem erant insignia erga Ecclesiam promerita Societatis vestrae, iamdudum elaborantis, ut Germanicae nationis catholici homines, qui, acatholicis et schismaticis permixti, Germaniam, Austriam et Helvetiam incolunt, salvam et incolumem ab horum consuetudine convictuque periculoso conservent fidem. Singularem vero voluptatem nuper cepimus ex eo libro, quem ad Nos cum summae observantiae significatione misistis de ratione cursuque instituti vestri, unde cognovimus quae, toto hoc annorum plus quinquaginta spatio, in salutem vestrorum popularium egeritis. Profecto ista Nos reputantes, facere non possumus quin et Dei providentis bonitati ingentes agamus gratias, et diligentiam vestram, aeque ac Decessores Nostri, laudibus ornemus.

Nunc autem fructus istius diligentiae etiam ampliores, Deo item auxiliante, polliceri Nobis posse vehementer gratum est. Vos enim parati, uti convenit, illuc accurrere prolixius opitulatum, unde maior necessitas opis ostenditur, rectissime operam vestram amplificare et intendere cogitatis in Austriae finibus, per Bohemiam maxime; quippe ibi fervet maxime actuosa vis haereticorum, quibuslibet artibus molientium divellere et abstrahere quamplurimos possunt a sinu complexuque Romanae Ecclesiae. Et revera pro facultatibus nominatim, quibus abundant, nimium quantum proficiunt! Huius tanti mali progressionibus obsistere (quod quidem, nisi mature cohibeatur, evasurum brevi est in teterrimum perduellionis incendium, idque fortasse maius quam ut restingui possit) non modo vobis debet esse propositum, sed omnibus bonis, quicumque istic illatas Ecclesiae matri iniurias et detrimenta dolent, atque aegre ferunt fratrum suorum vicem, qui misere ruunt in interitum. Itaque conata laboresque vestros in hac religionis et animarum clade prohibenda, dubitare non possumus quin primum, pro conscientia pastoralis officii, magis magisque, auctoritate gratiaque sua, velint adiuvare Episcopi, ac praesertim efficere, ut Societatis vestrae Opus in singulis dioecesis suae paroeciis aut instituant, aut iam institutum refoveant. Sed universos praeterea, potissime ex Austria, catholicos valde confidimus, pro sua quemque facultate, vobis suppetias venturos. Quos quidem, etsi satis per se promptos intelligimus ita contendere pro fide ut tempus postulat, velimus tamen voce quoque excitari Nostra, qua studiosissime eos hortamur quaesumusque ut, quavis mutua concertationis causa seposita, omnes, coniunctis animis

foederatisque viribus, contra communem religionis et civitatis hostem, operam vobis navando, dimicent.

At praeter istas regiones, in quibus usque adhuc salutaris industria Bonifacianae Societatis se continuit, videte quanti referat eiusdem beneficia ad ipsam proferre Italiam. Hic enim in praecipuis urbibus vestrates bene multos habitare novimus, eosque maximam partem expertes catholicae fidei. Quum his ante omnia praesidia abunde suppetant ad colenda sacra professionis suae, dolendum interea est, qui sunt catholici, eos nec ita paucos, si excipias qui Romae commorantur, in magno salutis aeternae versari discrimine; siquidem destituti sacerdotum ministerio, ob sermonis utrinque inscientiam, sibique prorsus relicti, nimis facile fit ut tandem inducant animum aut christianae vitae officia deserere, aut ad heterodoxos, quibuscum vivunt, sese adiungere. Rem cernitis agi eiusmodi, quae Bonifacianae Societati operam et adiumenta inprimis desideret. Quare vos, pro instituto vestro, hos etiam populares, quos dicimus, incolas Italiae certe habebitis curae, nec patiemini quemquam ex eis, paene in conspectu Romanae Sedis, fidei sanctae iacturam facere. Nos interim precamur ex animo uberrima coeptis vestris caelestia munera: quorum auspicem ac peculiaris benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti filii, universis Societatis vestrae sodalibus atque omnibus qui suis vos opibus iuvant, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die I Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
LVDOVICO NAZARIO ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI
MAGNO CANCELLARIO VNIVERSITATIS STVDIORVM LAVALLIANAE
QVEBECVM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vehementer Nos delectarunt communes litterae, a moderatoribus Collegioque doctorum decurialium istius Universitatis datae, ac per te, Magnum Cancellarium, Nobis redditae. Ex his enim intelleximus, non modo quam studiosa vestrum omnium sit erga Pontificem Romanum pietas, sed etiam quam religiose Apostolicae Sedis documenta servetis et praescripta in negotio tanti momenti ac ponderis, quanti est recte formare et instituere in gravioribus disciplinis iuventutem. Itaque mirum non est, complures numerari in ordine vel sacro vel civili praestantes viros, qui Lavalliani nomen Instituti, cuius extitere alumni, Ecclesiae simul et civitati egregio testimonio commendent. De his operae vestrae fructibus uti vos, et quidem iure, gaudetis, ita Nos vobis gratulamur: eo magis quod in optimo proposito sic vos constare perspicimus, ut ex praeterito tem-

pore coniicere futurum liceat. Pergite igitur bene de Canadensi et Ecclesia et patria mereri; certum habentes, vobis cum Romani Pontificis comprobatione nec hominum proborum gratiam opesque, nec vero uberrima Dei defutura auxilia. Horum auspicem et peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, et omnibus istius lycei magni moderatoribus, doctoribus, alumnis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTAE FILIAE
CAECILIAE BRVYÈRE SANCTIMONIALI BENEDICTINAE
SOLESMENSIS A S. CAECILIA MONASTERII ANTISTITAE

PIVS PP. X

DILECTA FILIA
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Missale a te tuisque oblatum, vario pretiosoque ornatu et minutulis picturis affabre distinctum, scito accidisse Nobis gratissimum. In quo non solum facultatem artificii vestri admirati sumus, sed etiam testimonium amavimus pietatis observantiaeque perstudiosae, qua Iesu Christi Vicarium colitis. Maxime vero is placuit, quem ipsius operis elaborata varietas prodit, gnarus sacrae liturgiae sensus: unde facile perspicimus vos, quemadmodum perhibemini, uti ceteras divini cultus accurare partes, ita *psallere sapienter*. Itaque, quod vobis in optatis erat, Nos quidem libenter fecimus, ut ad saeculare sacrum, quod honori Gregorii Magni Aprili mense in templo Vaticano peregimus, hunc vestrum adhiberemus librum, utpote augustissima caeremonia apprime dignum. De hoc igitur munere, itemque de altero, quo ipsum tu novissime cumulasti, volumen dicimus a te pie conscri-

ptum titulo: *La vie spirituelle et l'oraison,* agimus habemusque gratiam. Simul rogamus ex animo Deum, ut vobis ad persequendum sanctissimi instituti propositum semper adsit, suique amoris suavitate acerbitatem praesentium molestiarum mitiget. Auspicem caelestium bonorum, ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, tibi, dilecta Filia, et sororibus tuis universis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LETTERA

AL SIGNOR CARDINALE

PIETRO RESPIGHI

VICARIO GENERALE PER LA DIOCESI DI ROMA

Signor Cardinale,

La ristorazione d'ogni cosa in Cristo, che ci siamo proposti coll'aiuto del Cielo nel governo della Chiesa, esige, come più volte abbiamo già manifestato, la buona istituzione del clero, la prova delle vocazioni, l'esame sull'integrità della vita degli aspiranti e la cautela per non aprir loro con troppa indulgenza le porte del santuario. Per far regnare Gesù Cristo nel mondo nessuna cosa è così necessaria come la santità del clero, perchè con l'esempio, con la parola e con la scienza esso sia guida ai fedeli, che, come dice un antico proverbio, saranno sempre quali sono i sacerdoti: *sicut sacerdos, sic populus.*

Leggiamo infatti nel S. Concilio di Trento: *Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicaverunt; quum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur* (Sess. XXII, cap. I de Reform.). Da questo emerge chiara la necessità, che i

chiamati nella sorte del Signore, fin dai primi anni, siano non solo informati a quella pietà e a quella dottrina che li rendano sale della terra e luce del mondo, ma la santità della vita abbiano meditata e praticata sotto una vigilante osservanza ed una accurata disciplina nei Seminarî. Nei Seminarî infatti si educano le tenere piante, che, fatte alberi, daranno frutti copiosi; nei Seminarî si preparano gli operai, che dovranno coltivare la vigna del Signore, e finalmente si esercitano i coraggiosi atleti, che dovranno sostenere con fortezza le divine battaglie.

Con molta ragione pertanto i padri del S. Concilio di Trento, dopo la Sessione XXIII (cap. 18 de Reform.), in cui fu decretata l'istituzione di questi noviziati ecclesiastici, pieni di santa allegrezza si congratularono a vicenda, ripetendo che, se il Concilio di Trento non avesse stabilito che questo, non si sarebbe dovuto lamentare nè la sua lunga durata, nè le gravi difficoltà e pene, che si erano sostenute.

E qui Noi dobbiamo ringraziare la Provvidenza, che, per la sollecitudine e generosità dei Nostri Venerati Predecessori, la città nostra, non solo è provveduta di ottimi Seminarî pei bisogni della Diocesi, ma è ricca di Seminarî e Collegi per quasi tutte le nazioni: il che apre il cuore non solo alla speranza, ma alla certezza che la pietà e la scienza di questi alunni che si spargono per tutto il mondo produrranno frutti di benedizione.

Convinti pertanto e persuasi della necessità che quanti aspirano al Sacerdozio siano educati nei Seminarî per mantenere e coltivare la vocazione allo stato ecclesiastico, ed affinchè le vocazioni vere si possano meglio conoscere dai

Superiori, che devono rendere il ***bonum testimonium*** prima che sugli aspiranti stessi vengano imposte le mani; persuasi che quanti hanno la vera vocazione niente maggiormente desiderano che di entrare in questi cenacoli, dove pei celesti carismi dello Spirito Santo si preparano alla missione, a cui sono divinamente chiamati (e chi sente altrimenti lascia molto a dubitare sulla verità e sincerità della sua vocazione); col voto, che quanti si credono chiamati al Sacerdozio, fin dai primi anni, se fosse possibile, entrino in questi asili della pietà e dello studio; confermando pienamente quanto Ella, Sig. Cardinale, ha disposto in proposito con le lettere circolari dirette ai Revm̃i Ordinarî d'Italia negli ultimi tre anni decorsi; siamo inoltre venuti nella determinazione di stabilire:

1.° Tutti i Chierici della Diocesi di Roma, come quelli che dalle diverse Diocesi d'Italia vengono mandati a Roma dai loro Revm̃i Ordinarî per attendere agli studî, debbono essere convittori in un Seminario o Collegio ecclesiastico.

2.° Per provvedere, quanto è possibile, a quegli aspiranti della Diocesi di Roma che non potranno pagare la retta, vogliamo che i posti gratuiti nel Seminario Romano siano riservati agli studenti di Teologia che si trovino in detta condizione; e solo nel caso che non vi fossero aspiranti teologi, possano goderne studenti di Liceo. Vogliamo altresì che a tali posti possano essere nominati anche gli studenti non romani di nascita, purchè appartengano per domicilio a questa Diocesi.

3.° I Sacerdoti che a domanda dei loro Vescovi verranno a Roma dalle Diocesi d'Italia, sia per un corso di

perfezionamento nella Filosofia o Teologia, sia per frequentare le scuole di diritto canonico e civile negli istituti ecclesiastici, sia per gli studî universitarî, od anche per la pratica nelle Sacre Congregazioni Romane; dovranno essi pure entrare come alunni in un seminario o collegio ecclesiastico.

4.° Gli studenti esteri, con le commendatizie dei loro Revmi Ordinarî, dovranno procurarsi il posto nei Collegi delle rispettive nazioni, e, qualora questi mancassero, in un altro Collegio ecclesiastico.

5.° In conseguenza di tali disposizioni non potranno essere accolti nei Collegi laici di Roma, quantunque retti da persone ecclesiastiche, i chierici e sacerdoti studenti per esercitare l'ufficio di prefetti dei convittori. È doloroso il dover privare siffatti Collegi dei giovani studenti, che coll'abito ecclesiastico vi esercitano tale officio; ma a questo bisogno, al quale potranno provvedere a tempo i Direttori dei singoli Istituti, deve prevalere la necessità di informare quei giovani allo spirito ecclesiastico con la disciplina dei Seminarî.

6.° In nessuno dei Seminarî o Collegi ecclesiastici di Roma potrà essere accettato come alunno chi non presenti la domanda del suo Ordinario, il quale s'impegni di riceverlo in Diocesi a studî finiti, o quando per altre ragioni i Superiori stimassero di doverlo licenziare. Le suddette domande dovranno essere riconosciute da cotesto Vicariato.

7.° Le Università Gregoriana e della Minerva, i Seminarî Romano e Vaticano, e il Collegio di Propaganda non potranno ammettere alle lezioni, come uditore ordinario, nessun Chierico o Sacerdote, che non esibisca la prova

scritta di essere convittore in un Collegio ecclesiastico, o in un Seminario. Per i Sacerdoti romani non appartenenti a comunità ecclesiastiche si richieda il permesso scritto di cotesto Vicariato. Tali disposizioni valgono anche per gli ecclesiastici che desiderano far pratica nelle Congregazioni romane.

8.° Non potrà essere promosso al Sacerdozio chi non abbia compiuto il 4° anno di Teologia, e non ne abbia superata la prova, e non sia stato alunno, almeno per tre anni, in un Seminario o Collegio ecclesiastico.

Le comunichiamo, Signor Cardinale, per tempo queste disposizioni, perchè, nel suo zelo illuminato pel governo della Nostra Diocesi, Ella ne intìmi e ne sorvegli pel prossimo venturo anno scolastico la scrupolosa osservanza, derogando affatto a qualunque consuetudine o privilegio in contrario. E Le impartiamo con particolare affetto l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, nella festa di S. Pio V del 1904.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO

AVGVSTINO ARNDT SACERDOTI E SOC. IESV

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Edita typis Friderici Pustet, reddita sunt Nobis volumina, quae Francisci Allioli, canonici Augustani, germanicam Bibliorum versionem a te cum adiectis commentariis retractatam continent: opportunum sane opus, quodque doctrinam, iudicium pietatemque tuam non vulgarem testetur. Novimus enim te apud prudentes in sacris litteris viros laudari, quod Alliolianam lucubrationem ita reconcinnaris, ut nihil iam in ea desideretur, quod aut hodierna horum studiorum ratio exigat, aut ad fructuosam divinarum sententiarum intelligentiam faciat. Hoc autem labore tuo pergratum Nobis accidit praeclaras christiano populo quaeri utilitates, spargendis in vulgus, ut intelligimus, tenui pretio libellis, qui Novum Testamentum Veterisve partes exhibeant. Vehementer cupimus huiusmodi urgeri industriae genus, quo animarum non minus incolumitati quam emolumento consulitur in re gravissima: quippe prohibetur ne in lectione

Scripturarum, quales ab heterodoxis diffundi solent, imperiti homines perniciem pro salute inveniant. Tu vero, dilecte fili, gratae voluntatis Nostrae significatione fruere; ex eaque porro sume animum, ut in sacris doctrinis bonos facultatis tuae fructus efferre, Deo iuvante, pergas. Interea caelestium munerum auspicem, et benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam tibi Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VI Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
ALOISIO CAPPELLO S. I.
MODERATORI COLLEGII PII LATINI AMERICANI IN VRBE
EIVSDEMQVE COLLEGII ALVMNIS

—

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Magnam equidem habet utilitatem inter alumnos qui in Collegio Latino Americano degunt eosque, qui, confecto studiorum curriculo, in patriam remearunt, coniunctionem animorum servari ac veluti operis communionem. Hinc enim qui adhuc formandi sunt stimulos sibi adiici sentiunt ad fructus eruditionis rite percipiendos. Inde vero, qui iam sacro ministerio in patria occupantur, exactos in ephebeo annos memoria repetentes, suscepta ibi proposita instaurant et alacriore studio persequuntur. Hanc in rem magnopere conferunt ephemerides, quae statis temporibus in Collegio eduntur; quibus factorum notitia tum praesentium tum veterum alumnorum, rerumque Collegii continetur. Consilium igitur editionis eiusmodi libenti Nos commendatione honestamus. Et quia Collegium urbanum Americae Latinae haud

minori, quam Decessores Nostri, benevolentia complectimur, faustitatem omnem illi a Domino adprecamur. Cuius sit pignus Apostolica Benedictio, quam Moderatori, Magistris, alumnis universis tum qui sunt, tum qui fuerunt, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
IOSEPHO CHAPELIER ANTISTITI NOSTRO VRBANO
AC PRAESIDI TOTIVS OPERIS
A SANCTO FRANCISCO SALESIO NVNCVPATIS
CETERISQVE EIVSDEM OPERIS SODALIBVS
PARISIOS

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ex opere, cui a S. Francisco Salesio nomen, iucunditatem parem, id est longe maximam, hausimus ac Nostri in Pontificatu Decessores Pius IX et Leo XIII fel. rec. Sodalitas namque, in qua cum fructu lectissimo vestra se probat industria, in id propositum incumbit egregie, ut pretiosam fidei haereditatem incolumem servet atque ab inimica tueatur haeresi: habetque propterea abunde quare et Nobis laetitiam iniiciat, qui fuimus ad munus tutandae fidei assumpti, et a Nobis laude summa exornetur. Magnum quidem ac nobile propositum: attamen non infra rei dignitatem voluntas sodalium est. Hanc vobis voluntatem effuse gratulamur, atque eo libentius gratulationem Nostram coetui vestro tribuimus, quod utilitates, ut diximus, eaeque uberrimae patent

collatis eiusdem viribus partae. Spes autem Nos tenet debere sodalitatis emolumenta quotidie augeri, eorum accrescente sollertia qui nomen eidem dederunt. Spes etiam non tenuis est plurimos e catholico grege allaturos coetui opem, ubi primum perspecta vulgo patescant vestra consilia. Nos vero quibus obscurum non est, quo universi incensi estis, divinae gloriae studium, perstantes vos in coeptis exoptamus, id ratos numquam defutura erga vos benevolentiae Nostrae argumenta. Interim gratum vobis de petriana stipe animum testamur, divinarumque gratiarum auspicem, Apostolicam Benedictionem singulis vobis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

AVGVSTISSIMO SERENISSIMOQVE PRINCIPI

GVILELMO

GERMANIAE IMPERATORI BORVSSIAE REGI ILLVSTRI

PIVS PP. X

AVGVSTISSIME ET SERENISSIME IMPERATOR

SALVTEM ET FELICITATEM

Primum operis volumen, quod ad Xystinum illustrandum sacrarium Ernestus Steinmann, doctor, edere est aggressus, pergrate a Maiestate Tua dono suscepimus, gratiasque Eidem quam plurimas de praeclaro munere agimus. Novum inde haurire placet argumentum humanitatis urbanitatisque, quae in praenobili ac munifico Maiestatis Tuae animo elucent ac splendent; libetque gratulari etiam vehementer quod ad rem tanti tamque explorati decoris favorem omnem ac liberalitatem Tua Maiestas contulerit. Id interea gaudemus, doctoris Germanici studio novum artis monumentum e Vaticanis aedibus fuisse profectum, semperque id genus opera in eruditis Germaniae viris laudabimus, quum non minus eadem ad Nostram illustrandam Sedem, quam ad comparandam Imperio isti gloriam conducant. Maiestati

Tuae omnique Augustae Ipsius Domui faustissima quaeque exoptamus, Deumque adprecamur ut Maiestatem Tuam incolumem diutissime servet.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
FRANCISCO ERNESTO EPISCOPO ENGOLISMENSIVM
ENGOLISMAM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Primum post impositum Nobis universae pondus Ecclesiae, cogi brevi contingit eucharisticum ex omni natione coetum, ac delectam illi habendo scimus urbem pastoralis officii tui Sedem, Engolismam, nobilem profecto civitatem ac piam. Tibi, sollerti religiosoque Praesuli, ceterisque celebrandi conventus auctoribus, libet e credita Nobis Pontificatus Supremi Cathedra illos aperire sensus, quibus paucos ante annos Ipsi incendebamur, quum Venetiis congressum Italiae XV celebraremus ad cultum Sacramenti Augusti exaugendum. Equidem praeclarum eventum, pro ea, quam inde expectamus, ubertate fructuum, omni animi laetitia gratulamur, Iesumque Sacramento latentem, cuius ad amplificandum honorem undique ac plurimi profecto convenietis, adprecamur vehementer velit Ipse vestris adspirare consiliis, coetusque salubria opera coelestis gratiae rore for-

tunare. Vobis autem ad deliberandum aggressuris versetur illud in mente, communem populorum pietatem in pietatem intueri vestram, ab eaque quaerere et exemplum imitationi propositum et incitamentum perficiendae virtuti destinatum. Haereat etiam illud in animis, gratiam eucharistici conventus talem omnino esse existimandam, ut commoti eius efficacitate homines ac meliores effecti, iam non videantur, in re christiani cultus praecipua, posse ullo modo in posterum reprehendi. Iis praesertim qui adversario ausu in Eucharistiam feruntur, religione sensuum, voluntatum concordia, caritate denique verborum atque operum exemplo sitis, multosque ad adhibendam sacramento venerationem atque ad concipiendum divini alimenti amorem allicite. Haec si in conventu spectaveritis, Deumque in primis si prece magna rogaveritis vobis uti ex altari adsit, in quo sacris tectus speciebus, amoris caussa, latitat, erunt procul dubio frugiferi coetus vestri labores. Nos autem coelestium gratiarum auspicem Apostolicam Benedictionem tibi atque omnibus, qui in congressu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XI Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII
DE OBSERVANDIS ET EVITANDIS
IN MISSARVM MANVALIVM SATISFACTIONE

Ut debita sollicitudine missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum obliviones vitentur, plura etiam novissimo tempore S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostrae aetatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel maiores esse adhibendas, ut piae fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur. Qua de causa Emi S. C. Patres semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt, quae SSmus D. N. Pius PP. X accurate perpendit, probavit, vulgarique iussit, prout sequitur.

Declarat in primis Sacra Congregatio manuales missas praesenti decreto intelligi et haberi eas omnes quas fideles, oblata manuali stipe, celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam, ut tamquam perpetua haberi debeat.

Pariter inter manuales missas accenseri illas, quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in per-

petuum, sed in nulla Ecclesia sunt constitutae, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

Ad instar manualium vero esse, quae in aliqua ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia, hac illave de causa, applicari non possunt; et ideo aut de iure, aut cum S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat.

Iamvero de his omnibus S. C. decernit:

1.° Neminem posse plus missarum quaerere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario dioecesano, aut Praelato regulari.

2.° Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum missarum.

3.° Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite, sive implicite ob urgentem aliquam causam deposcant, aut longius tempus concedant, aut maiorem missarum numerum sponte sua tribuant.

4.° Cum in decreto *Vigilanti* diei 25 mensis Maii 1893 statutum fuerit « ut in posterum omnes et singuli ubique « locorum beneficiati et administratores piarum causarum, « aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive « ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum

« onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint « propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definien- « dum »; ad tollendas ambiguitates Emi Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis praefinitum ita esse acci- piendum, ut pro missis fundatis, aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent: pro missis vero manualibus, obli- gatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero; salvis prae- scriptionibus praecedentis articuli pro minori missarum nu- mero, aut diversa voluntate offerentium.

Super integra autem et perfecta observantia praescriptio- num quae tum in hoc articulo, tum in praecedentibus statutae sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

5.° Qui exuberantem missarum numerum habent, de qui- bus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel obla- torum voluntati quoad tempus et locum celebrationis mis- sarum detrahatur), posse eas tribuere, praeterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi noti sint et omni exce- ptione maiores.

6.° Qui missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari.

Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suae fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obliga- tione teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint assequuti; adeo ut, si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa

in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur.

7.° Ordinarii dioecesani missas, quas ex praecedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quae ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet « missarum intentiones primum distribuent inter « sacerdotes sibi subiectos, quos eis indigere noverint; alias « deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut « etiam, si velint, sacerdotibus extra-dioecesanis, dummodo « sibi noti sint omnique exceptione maiores », firma semper regula art. 6.[1] de obligatione, donec a sacerdotibus actae celebrationis fidem exegerint.

8.° Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque omnino praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit aut scienter tradendo missas, ut supra, aut

eas acceptando, praeter grave peccatum quod patrabit, in poenas infra statutas incurret.

9.° Iuxta ea, quae in superiore articulo constituta sunt, decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam, numquam separari posse a missae celebratione, *neque in alias res commutari aut imminui,* sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10.° Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat.

11.° Item sine nova et speciali S. Sedis venia, (quae non dabitur, nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

12.° Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susce-

ptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latae sententiae Episcopo reservata obstringetur.

13.° Et cum in const. *Apostolicae Sedis* statutum sit excommunicationi latae sententiae Summo Pontifici reservatae subiacere « colligentes eleemosynas maioris pretii, et « ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis « ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent », S. C. declarat, huic legi et sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum.

14.° Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope missarum iam initae usque ad exitum anni a quo institutae sunt protrahantur. Itemque conceditur ut indulta reductionis eleemosynae missarum, quae in beneficium Sanctuariorum aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum vigeant.

15.° Denique quod spectat missas beneficiis adnexas, quoties aliis sacerdotibus celebrandae traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuunt, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt.

Pro missis vero fundatis in paroeciis aliisque ecclesiis eleemosynam, quae tribuitur, non aliam esse debere quam quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, si quae sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen.* 25 Iulii 1874 et *Hildesien.* 21 Ianuarii 1898.

In *Monacen.* enim « attento quod eleemosynae missarum « quorundam legatorum pro parte locum tenerent congruae « parochialis, Emi Patres censuerunt licitum esse parocho, « si per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacer-« doti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive « pro missis lectis sive cantatis ». Et in *Hildesien.* declaratum est, « in legatis missarum aliqua in ecclesia fundatis « retineri posse favore ministrorum et ecclesiarum inservien-« tium eam redituum portionem, quae in limine fundationis, « vel alio legitimo modo, ipsis assignata fuit independenter « ab opere speciali praestando pro legati adimplemento ».

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam onerum perpetuorum et librum, in quo manuales missae, quae a fidelibus traduntur, ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur.

Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda executione praesentis decreti: quod Sanctitas Sua ab omnibus inviolabiliter servari iubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae ex Sacra Congregatione Concilii, die 11 Maii 1904.

† VINCENTIUS CARD. EP. PRAENESTINUS, *Praefectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
PRAEFECTVRA APOSTOLICA
INSVLARVM ANNOBON, CORISCO ET FERNANDO PÓO
ERIGITVR IN VICARIATVM APOSTOLICVM

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ecclesiae universae divinitus commissa Nobis cura postulat, ut quae in spirituale christiani gregis bonum atque emolumentum cedant, Apostolica Auctoritate interposita, praestare maturemus. Iam vero cum nuper expositum Nobis fuerit Praefecturam Apostolicam insularum *Annobon, Corisco* et *Fernando Póo,* cui modo magnum continentale territorium adnexum fuit, ita, opitulante divina gratia, floruisse, ut conveniens existimetur eam in Vicariatum Apostolicum erigere; Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec, quae infra scripta sunt, statuenda idcirco censuimus. Nimirum omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes,

Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium tenore perpetuum in modum Praefecturam Apostolicam insularum *Annobon, Corisco* et *Fernando Póo,* servatis confiniis quibus in praesens ipsa continetur, in Vicariatum Apostolicum evehimus *de Fernando Póo* appellandum, cura eiusdem relicta Missionariis Congregationis Filiorum Immaculati Cordis Mariae. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque etiam speciali atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
SEIVNGVNTVR NONNVLLI COMITATVS
E DIOECESI HELENENSI
ET IN NOVAM DIOECESIM GREAT-ORMENSEM COGVNTVR

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Universalis Ecclesiae procuratio Nobis, licet immerentibus, divinae Providentiae credita consilio Nos admonet, ut novas in Orbe Catholico Dioeceses constituamus, quum id ad maiorem dominici gregis utilitatem cedere videatur. Cum vero bo. me. Ioannes Baptista Brondel, Episcopus Helenensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, nuper defunctus, enixe ab hac Apostolica Sede postulavisset, ut, ad incrementum religionis et ad maius animarum bonum, nova Dioecesis in Provincia Ecclesiastica Oregonopolitana erigeretur per suae Dioeceseos divisionem, cumque Venerabiles Fratres Archiepiscopus Oregonopolitanus et Episcopi comprovinciales eandem petitionem unanimi consensu commendaverint; Nos, omnibus rei momentis attente perpensis, ac de consilio etiam DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis

Propandae Fidei praepositorum, in hoc suffragiis suffulto Venerabilis Fratris Diomedis Falconio, Archiepiscopi titularis Larissensis et illius praedictae regionis Apostolici Delegati, huiusmodi preces benigne excipiendas censuimus. Quare ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque plenitudine Apostolicae Auctoritatis praesentium vi, Motu-Proprio, e Dioecesi Helenensi sequentes regiones, seu, uti vocant, Comitatus Choteau, Cascade, Fergus, Sweetgrass, Yellowstone, Carbon, Rosebud, Custer, Dawson, Valley et Park, qui in parte orientali status Montana siti sunt, seiungimus ac dismembramus, eosdemque in veram ac proprie dictam Dioecesim erigimus et constituimus, cuius Episcopalem Sedem sitam volumus in Civitate cui nomen « Great-Falls » atque exinde novam hanc Dioecesim « Great-ormensem » nuncupari mandamus, cum cathedratico pro sua Episcopali mensa discreto arbitrio Episcopi imponendo. Hanc porro Dioecesim Great-ormensem suffraganeam esse iubemus Archiepiscopi Oregonopolitani, atque honoribus, privilegiis et iuribus frui, quibus aliae Episcopales Ecclesiae fruuntur et gaudent. Decernentes has Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non Benedicti XIV Decessoris Nostri Constitutione super Divisione

Materiarum, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVIII Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO

PAVLO DELATTE O. S. B. CONGREGATIONIS GALLICAE ANTISTITI

ABBATI SOLESMENSI

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ex quo tempore, praeclarae vir memoriae, Prosper Guéranger, primus decessor tuus, quum sese ad sacrae liturgiae scientiam totum contulisset, vestra studio suo excitavit inflammavitque studia, nobilitatum nemo ignorat coenobii Solesmensis nomen, maxime ob datam sollertissime operam redintegrandae in Gregorianis concentibus veteri disciplinae. Huiusmodi inceptum, laboriosum aeque ac frugiferum, vobis urgentibus, non defuere ab Apostolica Sede, nec sane poterant, testimonia laudis. Illud enim plus semel Leo XIII fel. rec., nominatim anno MDCCCCI scriptis ad te litteris, probavit: proxime autem mense Februario editos vestris curis rituales de cantu libros sacrum Consilium ritibus praepositum et ratos habuit et, late iam usu receptos, libenter agnovit. Nos vero, qui mature officii Nostri duxerimus esse hoc aggredi ex auctoritate opus, id est Gregorianos modos ad rationem restituere antiquitus traditam, permagni vestros

in hoc genere labores facere, saepe alias professi, novissime ostendimus. Namque in sollemnibus caeremoniis, quibus ad Magni Gregorii cineres saecularem eius natalem celebravimus, quum vellemus instaurandi cantus Gregoriani tanquam consecrare initia, ipsos Solesmenses concentus adhiberi ad exemplum iussimus. Nunc autem peculiaris Nobis est causa cur, praeter hanc tantam in vobis sollertiam, deditissimum Romano Pontifici animum dilaudemus. Etenim cogitantibus Nobis Vaticanam decernere liturgicorum concentuum editionem, quae, auspiciis adornata Nostris, ubique usurpanda foret, ac vestram in hoc propositum navitatem advocantibus, periucundae a te, dilecte fili, allatae sunt mense Martio litterae, quae vos non modo promptos paratosque nuntiarent esse ad elaborandum in re, qua cuperemus, sed, eiusdem rei gratia, velle admodum, vulgatos iam vestrarum vigiliarum fructus Nobis concedere. Facile enimvero est intelligere, quanto vobis steterit, istud amoris et obsequii praebere specimen, quamque gratum propterea Nobis acciderit. Itaque, quo meritam pro singulari officio referremus gratiam, quum subinde authenticam, quam dicimus, editionem delectis viris curandam *Motu-proprio* commisimus, simul Congregationis istius, cui praesides, potissimeque familiae Solesmensis has voluimus esse partes, universam, quae extet, veterum de hac re monumentorum segetem more institutoque suo explorare, indeque elaboratam digestamque editionis huius materiam ministrare iis, quos designavimus, probandam. De quo mandato vobis munere, operoso quidem at perhonorifico, tametsi iam acceperas, libentes Nos ipsi te facimus, dilecte fili, certiorem, ad quem curae summa, ut illud sodales exequantur tui, per-

tinet. Novimus, quantopere Apostolicam Sedem Ecclesiamque diligas, divini cultus decori studeas, sancta monasticae vitae instituta custodias. Harum porro exercitatio virtutum, sicut dedit vobis usque adhuc, ita dabit de reliquo felicem doctorum laborum exitum: si quidem non inepte cadit in vos alumnos quod de Patre legifero Gregorius praedicavit: *nullo modo aliter potuit docere quam vixit.* Ceterum vobis, ad rem perficiendam concreditam, confidimus fore ut opportuna abunde suppetant studiorum adiumenta, maximeque vetustos codices conquirentibus ne quid obstet: non defutura, quod caput est, divina, quae enixe precamur, auxilia, certum habemus. Quorum auspicem itemque benevolontiae Nostrae singularis testem, tibi, dilecte fili, tuisque sodalibus Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ANTONIO FIAT MODERATORI GENERALI
SACERDOTVM A MISSIONE
PARISIOS

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sodalitatem sacerdotum a Missione, cuius summum obtines magisterium, multa Nobis ad benevolentiam commendant. Est enim illi cohaerentium Nobiscum sensuum custodia sollers: eadem vehementer nititur exemplum bonorum operum, vitae praesertim sacerdotalis integritate, et clericis impertire et laicis: tum etiam egregio, a quo nuncupari gaudet, nomini respondens, sacrarum expeditionum incremento fructuique studet, optimis assidue emissis Evangelii praeconibus, cultusque religiosi et humani prolatis beneficiis. Hanc tibi laudem ceterisque e sodalitate universis gratulari libet enixe, quum e studio gloriae divinae, quo vobis animus ardet, nec pauca hauserimus nec ea communia laetitiae argumenta. Ipse vero permultam Nobis ad voluptatem significasti sodales a Missione libenter te Episcopis Italiae suppeditaturum ut in sacris Seminariis aut moderato-

rum officio aut doctorum munere perfungantur. Gratam tibi voluntatem de praestantissimae utilitatis consilio profitemur, nihilque putamus ambigendum non minora extitura sodalium tuorum in Seminariis excolendis promerita, quam in propositis antea coetui bonis assequendis fuere. Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque dilectionis testem Apostolicam Benedictionem tibi et sodalitati universae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO

IOSEPHO WILPERT PROTONOTARIO APOSTOLICO

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Praeclarum et sane grande opus a te nuperrime editum, cui titulus « *Le Pitture delle Catacombe Romane* », in quo pictae imagines imorum specuum sive Catacumbarum romanarum mira quadam arte et veritate descriptae sunt, et via ac ratione collectae, cuius exemplar Nobis donasti, non parvo, dilecte fili, Nos affecit solatio, quod non solum tuum testatur in hanc Petri Sedem singulare studium, verum etiam quod Nos in certam spem adducit uberrimos optimosque fructus Christianae Reipublicae fore reddituram.

Enimvero quum hoc opere, quod tibi quidem eximia christianarum antiquitatum dogmatumque scientia ut efficeres suasit, prisci Ecclesiae ritus, sacra publica et arcana, Christianorum consuetudo et vita aliaque complura, quae catholicam fidem et disciplinam spectant, usque adhuc quasi delitescentia, tandem aliquando orbi universo commode pateant, immortalitati tradantur, non est dubitandum quin qui haec viderint, intellecturi sint quontopere honestissima

ars pingendi iam a primis Ecclesiae temporibus per ipsos Christi sectatores floruerit, quanta cura et diligentia in picturis tuendis et conservandis Ecclesia, ingenuarum artium studiosissima, elaboraverit, quanta religione et pietate primi Christiani divina et ecclesiastica praecepta institutaque coluerint.

Ea igitur materies in promptu est, ex qua veritas catholica magis magisque colluceat et se per se ipsa defendat, sensa fidei sponte sua excitentur, earundem rerum agendarum et credendarum perpetuitas confirmetur, Christifideles ad meliora charismata aemulanda incendantur, etiam ii, qui catholicae Religionis sunt expertes, armis erroris depositis, admiratione et veneratione Romanae Ecclesiae capiantur.

Quae omnia profecto non minus praesidio et utilitati Ecclesiae quam honori et gloriae tibi sunt, quippe qui hoc opere, cui omnem tuam industriam, sedulitatem, ingenium et doctrinam dedisti, ad rem catholicam adiuvandam optime valueris.

Quam ob rem Nos tibi libentissime, dilecte fili, et gratulamur et meritas laudes tribuimus, atque, in pignus Nostrae paternae probationis et dilectionis, Apostolicam Benedictionem, omen omnium gratiarum, tibi peramanter impertimur.

Datum Romae, die XXIV Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TIT. S. MARIAE TRANS TIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSIVM
BALTIMORAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Americae regionem, inter praestantes humanitate gentes multiplici re commendatam Nobisque apprime caram, tuae Nobis cariorem reddidere litterae, quas nomine Praesulum Foederatarum Americae superioris civitatum haud ita pridem dedisti. Affectos enim istic mirifice in Romanum Pontificem esse animos quamquam et saepe alias, et a te Ipsi etiam, quum primum fuimus ad Petri Sedem evecti, didicimus, novo tamen placuit constitisse argumento. Quod communi annui conventus voto gratulari Nobis dignitatem sacerdotii summam voluistis, id humanitati plane congruit comitatique vestrae. Ecclesiam autem quum simili prosequendam gratulatione putastis, quippe cui eum Christus Vicarium praefecerit, qui instaurare omnia in eodem Christo

constitutum habeat, id enimvero non sine obsecratione ac prece vos fecisse censemus, ea Nobis e coelo subsidia imploraturos, e quorum vi debet proficisci tota, si quae erit unquam in Nobis, sollicitudinis Nostrae efficacitas. Vobis demum ipsi estis ea de re gratulati, quod nempe propensissima Nostro in animo insit erga Americanam gentem voluntas. Hunc porro sensum, e quo tam multum voluptatis, perinde quasi e vestri argumento amoris luculentissimo, cepimus, afficere non modo laude, sed confirmare etiam gaudemus. Quam enim observantiam caritatemque catholicus Americae populus, optimorum exemplo Praesulum obsecutus, exhibendam Nobis, pro filiorum officio, censuit, eam studiosissima voluntate rependimus. Nostrae vero impertiendae demostrandaeque in Vos benevolentiae si assidua se occasio praebebit, erit Nobis id ad laetitiam, plurimumque procul dubio conducet ad necessitudinem arctius devinciendam, quae illustri vestro industrioque populo cum Apostolica Sede intercedit. Testem interea animi Nostri coelestiumque munerum auspicem, Apostolicam Benedictionem tibi, Collegis tuis, universisque Dioecesum vestrarum fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIII Iunii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LETTERA

AL SIG. CARDINALE DOMENICO FERRATA
PRESIDENTE DEL COMITATO INTERNAZIONALE
PEL MONVMENTO OPERAIO A LEONE XIII
ROMA

Signor Cardinale,

Non paghi di tributare per Noi stessi, siccome non omettemmo di fare in molteplici atti del Supremo Nostro ministero, alto omaggio di ossequio al venerato e non perituro nome del Nostro predecessore Leone XIII, godiamo onorare di pubblico encomio anche quegli illustri e solerti Sodalizî, nei quali vive tuttora e nobilmente si afferma verso sì grande Pontefice la riconoscente memoria. Mentre quindi lieta e gioconda risuona tuttavia in quest'alma Città l'eco del rito solenne, onde le Associazioni operaie cattoliche dedicarono non ha guari un monumento allo stesso Sommo Gerarca, Ci torna vivamente grato manifestare a lei, Signor Cardinale, e pel suo degno mezzo al Comitato Internazionale autore del progetto la particolare Nostra soddisfazione. Insigne ed onorata impresa, ed essa non iscevra di difficili cose, condussero con felice successo i cattolici sodalizî: il mondo intero, con plaudente consentimento, lo atte-

sta. Piace però a Noi prenderne speciale conforto non pure per la rimembranza di Colui, al quale tanto ossequio si rese, ma eziandio perchè l'operaio cristiano, non meno caro al cuor Nostro che a quello di Leone, ha ben dimostrato in questo incontro quanto confortevole corrispondenza egli serbi ai Pontificî insegnamenti. Laonde alle menzionate Associazioni mandiamo ben volentieri una lode, e mentre peculiare oggetto di elogio facciamo la nobile persona del benemerito Presidente del Comitato Internazionale, il Signor Principe Marcantonio Colonna, coadiuvato egregiamente dai membri del Comitato medesimo, impartiamo con tutto l'animo a lei ed ai socî degli anzidetti sodalizî l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, 17 Giugno 1904.

PIO PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

AEMILIO PAVLO EPISCOPO RVPELLENSI ET SANTONENSI

RVPELLAM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Librum, quem Nos ipsi ut conscriberes desideravimus, conscriptum inque lucem editum, cum litteris observantissimis, nuper a te accepimus. Argumentum sane scriptionis tuae necessarium quam quod maxime summique ponderis! De refellendis enim erroribus agebatur, qui in volumine quodam Loisyano continentur: quod equidem Apostolica auctoritate Nos damnavimus, at teri adhuc manibus imprudenterque nimis a quibusdam iuvenibus sacri cleri volutari dolemus. Decebat profecto ut ubi error ortus esset atque in primis glisceret, ibi etiam episcopali calamo refelleretur. Hoc te pro tua sapientia praestitisse gratulamur. Dumque tibi de suscepto exactoque labore laudem tribuimus, enixe cupimus et ominamur ut quos inde percipiendos fructus spectasti, uberrime Deus percipi concedat. Scimus plane qua tu diligentia sacri Seminarii alumnis prospicias,

ut eam hauriant scientiam, quae non inflet, sed, amandatis delirantium fabulis, traditae a Deo veritati respondeat. Pergito atque urgeto, Venerabilis Frater maximum hoc pastoralis officii munus. Quod ut abunde fortunetur tibi, Apostolicam Benedictionem, pignus benevolentiae Nostrae et caelestium gratiarum auspicem, tibi universoque clero tuo, praesertim vero sacri Seminarii doctoribus et alumnis, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVII Iunii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

DE MODERANDO
FRATRVM MINORVM ET CLERICORVM RR. SCHOLARVM PIARVM
IN HISPANIA REGIMINE

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Singularitas regiminis, ex qua, veluti ex salubri quodam nexu, vim ac regularis observantiae tutelam Religiosi Ordines mutuantur, superiore saeculo, ob peculiaria adiuncta, gravissima illa quidem praeterque ordinem, sic in Hispania ab Apostolica Sede temperari debuit, ut moderatores instituerentur, qui, vario nomine, Religiosos omnes, in Regum Catholicorum ditione degentes, suprema auctoritate regerent, ita tamen ut, etiamsi hi totius Religiosae Familiae antistites appellarentur, nulla potirentur potestate in exterarum Provinciarum alumnos.

At vero huiusmodi Regularis Hierarchiae conditio, annorum decursu, multis magnisque, tum intra tum extra Hispaniae fines, difficultatibus patuit; ut ideo innumeri censerentur Religiosi viri, ex omni Ordine omnique gradu, qui, laudabili studio, contenderent ad pristinam regredi regiminis unitatem, quae vel ipsis Hispanis multo fuerat gloriosior, ob dignitates ac munera, quibus Romae plures eorum fuerunt quovis

tempore honestati, magna totius Catholicae Nationis commendatione.

Pro rerum igitur adiunctis, huic Religiosorum studio restituendae veteris, Ordinis cuiusque proprii, unitatis Sedes Apostolica ultro satisfacere conata est. Quamobrem Religiosae Familiae pleraeque omnes unico iam regimine gubernantur. Quod quam feliciter sit factum ipsi Religiosorum coetus manifestant, qui, in decorem pristinum revocati, adeo inter Hispanos florent, ut patriae genti maximo sint ornamento. Quod si ceterae Religiosorum consociationes, quae nondum unitate regiminis fruantur, provehi et amplificari cognoscuntur, id debetur maxime bonae alumnorum voluntati, qui, non modo Sedis Apostolicae mandatis stare semper parati sunt, sed cum supremis praeterea sui cuiusque Ordinis moderatoribus animo coniunguntur: unde et adstatores Romae habere de gente sua apud eosdem supremos Moderatores gaudent et gloriantur.

Iamvero, dum Franciscales Minores atque Ordo Scholarum Piarum eo regimine, in Hispania, uti pergent, quo nunc utuntur, quodque Nos peculiaribus de causis permittimus ac toleramus *ad nutum Sanctae Sedis;* ut sarta sit atque tecta eorundem Ordinum *substantialis* unitas, quam Sedes Apostolica nunquam sublatam voluit, et ut certae tutaeque habeantur normae circa potestatis amplitudinem Moderatorum dictorum Ordinum in Hispania, ipsorumque cum supremo totius religiosi Ordinis Antistite coniunctionem, edicimus atque *in virtute sanctae obedientiae* iubemus quae sequuntur:

I. Vice-commissarius apostolicus Fratrum Minorum in Hispania itemque Vicarius Generalis Scholarum Piarum sunt

vere Vicarii Generales, alter Ministri Generalis, alter Praepositi Generalis Ordinis cuiusque sui. Uterque appellatione *Vicarii Generalis Minorum in Hispania* et *Vicarii Generalis Scholarum Piarum in Hispania* tamquam priva et propria utetur.

II. Ambo eligentur in *Capitulo interprovinciali hispanico:* hoc enim vocabulo Capitula eiusmodi designabuntur. Electores vero, sive ut aiunt *Vocales,* qui dictis Capitulis intererunt, iidem habebuntur qui, in ceteris Ordinis Provinciis, in Capitulo generali adesse ius habent. — Porro Capitula interprovincialia sexto quoque anno cogentur, elapso mense a Capitulo Generali celebrato.

III. Assistentes seu Definitores Vicarii Generalis hispanici, quavis alia appellatione abrogata, *Assistentes* seu *Definitores interprovinciales Hispaniae* vocabuntur. — Eorumdem electio in Capitulis interprovincialibus fiet.

IV. Vicarii Generales eorumque Assistentes seu Definitores ultra sexennium suo quisque munere fungi nunquam poterunt, nisi ex peculiari Sedis Apostolicae facultate. — Munere autem cedent post mensem a celebratione Capituli Generalis in quo vel Moderator supremus eligitur, vel saltem Definitores novi sufficiuntur.

V. Auctoritas Vicariorum Generalium Hispaniae quum sit tantum in Religiosos homines qui in terris hispanis degunt; iidem Vicarii in domos seu coenobia, ultra mare sita, delegata tantum auctoritate potientur; eo modo eaque amplitudine, quae Supremis Ordinis Antistitibus videbuntur.

VI. Porro auctoritas haec in transmarinas domos sic a Moderatore Generali communi pacto cum Vicario hispa-

nico definietur, ut quae sequuntur leges minime praetereantur.

a) Missio ac revocatio Religiosorum fiet a Vicario Generali, adhibito prius consensu Moderatoris Generalis.

b) Item Vicarii Generalis erit designare eos, qui domos transmarinas regant; id tamen non sine praevio consensu Ministri seu Praepositi Generalis fiat, praesertim ubi de maioribus Superioribus deligendis agatur.

c) Ius atque officium Vicario erit, per se vel per alium, transmarinas domos rite invisendi, annuente tamen in antecessum Moderatore Generali.

d) Quae Provinciae Religiosorum trans mare sunt, quin ab aliquo Provinciali Superiore in Hispania dependeat, earum Generalis Ordinis Moderator unice Superior esto. — Quapropter nullus erit locus auctoritati delegatae Vicariorum Generalium, si transmarinae domus cum aliqua Hispaniae Provincia, veluti pars eius, minime cohaereant, vel cum eadem in unam Provinciam vel quasi Provinciam coalescant.

VII. Celebratio Capitulorum Interprovincialium Hispaniae, itemque eorum confirmatio, necnon electionum in iis peractarum, ad unum totius Ordinis Moderatorem privo iure pertinebunt.

VIII. Quidquid a Curia Regulari, quae Romae est. pro auctoritate edicendum erit, per Vicarios Generales ordinario transmittatur. Quin vero ab iisdem Vicariis edoceantur ac votum exquirant, Supremi Moderatores Ordinis nulli *obedientiam,* quam vocant, ordinario dabunt extra fines Hispaniae exsequendam. — Nemo autem Religiosorum egredi ex Hispania poterit, etiam ut Romam veniat, nisi facultate facta a

Magistro seu Praeposito Generali: quod si ab hoc arcessatur, abnuere nequaquam poterit eo pergere, quo advocabitur.

IX. Supremo Ordinis Antistiti reservantur novae domorum fundationes, expulsiones Religiosorum eorundemque dimissiones ex Ordine, exequutio Rescriptorum apostolicorum, quae commissa fuerit Moderatori maximo, nulla mentione facta Vicarii Generalis hispani: item statuta et mandata, quae, quamvis statutorum generalium mutationem minime importent, quovis tamen modo *substantialia* Ordinis attingunt.

X. Vicarius Generalis ius habet invisendi; etiam per delegatos, domos universas quae in Hispania sunt, quaeque cum Provinciis hispanis sunt coniunctae. Ad eundem vero appellandi ius est Religiosis omnibus, qui eius ordinaria vel delegata auctoritate reguntur. Incolume tamen esto Magistro seu Praeposito generali ius invisendi, etiam per delegatos, domos quae Vicariis subsunt, itemque excipiendi appellationes Religiosorum quorumcumque, qui Vicariis eisdem subduntur.

XI. Religiosi hispani, qui necessariis ornentur dotibus, eligi poterunt ad munia quaecumque universi Ordinis gerenda, etiam ad Magisterium maximum: quare in Capitulis generalibus omnes et singulae regulares provinciae Hispaniae iura omnia et officia habebunt, quibus ceterae utuntur. Praeterea religiosi hispani ius habent ut unus saltem ex eorum numero sit *Assistens* vel *Definitor Generalis* in suprema Ordinis Curia, prout leges eiusdem Ordinis ferunt. — Item Vicario Generali ius esto idoneum e suis alumnum praesentandi, a Ministro seu Praeposito Generali ad triennium tantum adprobandum, qui *Vice-procurator* Hispaniae Romae sit (nisi ipse

Procurator Ordinis universi Hispanus fuerit), habeatque secum adiutores pro munere. — Tandem Vicarius Generalis tertio quoque anno Romam veniat ut (salvo iure visitationis quod Moderatori Generali competit) *vice-procurationem* hispanicam invisat, deque statu Provinciarum Hispaniae supremo Ordinis Antistiti rationem reddat.

XII. Quum Ordo Minorum S. Francisci itemque Scholarum Piarum unicus sit atque individuus, religiosae professiones non in manibus modo Superiorum Hispaniae emittantur, sed praecipue, immo vero necessario, in manibus Ministri seu Praepositi totius Ordinis.

XIII. Vicarii Generales tum Minorum, tum Scholarum Piarum, qui nunc sunt in Hispania, itemque qui a consilio eisdem sunt, hac vice tantum, biennio in munere permanebunt: elapso biennio, Capitulum interprovinciale, ut supra dictum est, celebrabitur. — In posterum autem, ut rectius res eveniant, iidem Vicarii Generales eorumque Consiliarii suo munere decedent quoties Capitulum generale cogetur, elapso videlicet mense ab eius celebratione, ut supra edictum est art. III.

XIV. Si qui demum actus, ob *substantiales* defectus, nulli fuerint atque illegitimi usque ad horam receptionis huius Motus-proprii; eos, si sanabiles sint, benigne sanamus et convalidamus.

Hae Nostrae declarationes et praescriptiones, vix atque acceptae fuerint, pleno robore fruentur, non obstantibus quibuscumque etiam specialissima mentione dignis.

Patrocinium Immaculatae Virginis Mariae opemque Francisci et Iosephi, Patrum Legiferorum, Religiosis Minoribus

et Scholarum Piarum hispanis implorantes, Franciscali et Calasanctianae Familiae universae apostolicam benedictionem paterna caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, in die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO

L. CL. FILLION E SOCIETATE S. SVLPICII

LVTETIAM PARISIORVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sacrarum Scripturarum interpretationem recte et accommodate tradere Clericis alumnis, qui, suo tempore, munere eas exponendi populo fideli fungi debent, plurimi interest. Quamobrem Commentaria a te edita super universa Scriptura, quae Nobis officiose offerre voluisti, libenti plane et grato animo accepimus. Pauca quidem de ipsis, prout angustia temporis dabat, hic illic attigimus; satis tamen ut operam tuam approbare possimus. Etenim textum Sacrarum Scripturarum per partes dividis, eumque concinna distributione componis; exponendo litteram, doctrinam tradis tutam, solidam, ac nova profers et vetera cum sobrietate: a vano abstines et a nimio. Meritas igitur tibi tribuimus laudes, ac gratulamur Tibi. Quo autem de oblato volu-

minum dono gratias referamus, Apostolicam Benedictionem, Paternae Nostrae Benevolentiae testem, tibi amantissime largimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die VI Iulii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

AVGVSTISSIMAE POTENTISSIMAEQVE PRINCIPI
IMPERATRICI SINARVM
PEKINVM

PIVS PP. X

AVGVSTISSIMA ET POTENTISSIMA IMPERATRIX
SALVTEM ET PROSPERITATEM

Nunciatum est Nobis Maiestatem Tuam proximo Octobri mense inituram septuagesimum aetatis annum, felicemque hanc rem ingenti gaudio futuram universo Sinarum populo. Quod eiusmodi faustitas expleat Tuam gentem laetitia, intelligimus inde, immo etiam confirmatum agnoscimus quanto et quam merito amore antiqua et nobilis Sinarum natio Maiestatem Tuam complectatur. Aequum autem praesentisque celebritatis dignum illud etiam censemus ut, quotquot sunt amicitia Tecum aut beneficiis coniuncti, hunc Tibi eventum gratulentur omnes. Quapropter Nos etiam Religionis Catholicae Antistes Summus, qui probe exploratum habemus de Religione Nostra Te bene meruisse, tum ob permissam catholicis istis potestatem cultus profitendi, tum etiam ob demonstratam iisdem benevolentiam, properamus gratulationes Maiestati Tuae maximas ac laetissima felicitatis omina offerre.

Ad huius autem iucundi eventus memoriam, donum etiam placet adiicere, tenue quidem illud per se ac sane modicum, propensissimi tamen studii argumentum. Quae interim vota pro Tua Maiestate concepimus, illa compleat Deus, quem enixe deprecamur ut Te Tuamque Domum Augustam caelesti omni munere atque in primis tranquillitate et pace longum in aevum tueatur.

Datum Romae apud S. Petrum, die VI Iulii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
CAROLO PVSTET PRAESIDI COETVS
CONVENTVI LI CATHOLICORVM GERMANIAE PARANDO
RATISBONAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Conventui apparando, quem praesenti hoc anno Augustoque proximo mense catholici Germaniae viri Ratisbonae peragent, praecipuam quandam te adhibere industriam cognovimus, operam tibi in eandem rem conferente civitate omni Ratisbonensi, cuius celebratissimae laudes in fide, sollertia, comitate, hospitalitate denique sunt. Alacres labores tui, studiumque constituti in id coetus ac praecellentium tot ornamentis civium, spem profecto iubent inire lectissimam habendi egregie conventus. Qui quidem si debet e catholicis Germaniae viris coalescere, negotiaque si Ecclesiae gravissima regnis in istis perpendet, exploratum profecto iam nunc habemus quam fortunate ineundum se impertiat, quamque sit iucundo concludendus exitu. Illud enim de congressibus vestris catholicis longissima ex aetate novimus, stu-

diose illos ac rite praeparari, feliciter fructuoseque peragi. Exempla igitur non quidem a peregrinis edita, sed a vobis splendide parta sequamini: gloria certe cum gloria cumulabitur. Et quoniam arctioribus terminatam finibus humanam esse vim intelligitis, a Numine in primis atque a Superis deprecatione potentibus recte auxilia imploratis. Sit itaque munerum conciliatrix uberum Deipara primaevae labis nescia, cuius ab edicto sine macula conceptu quinquagesima in hunc annum anniversaria incidit dies: ope etiam et gratia Patroni vobis adsint divus Bonifacius et divus Wolfgangus, per quos stetit ac stabit vestra in regione fides. Ad consilia vero atque ad opera accedentibus animos vobis ceterisque e cogendo conventu singulis addat, benevolentiae Nostrae pignus, Apostolica Benedictio, quam universis, qui in conventu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxv Iulii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
HENRICO DEBOVT, CANONICO
ATREBATVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Oblatum dono volumen, quod de Ioanna Arcensi deque Atrebatensi ac Tornacensi urbibus per hos dies emisisti, studia, quibus totus multa ab aetate vivis, maiorem in modum commendat, opusque longe maius auspicato portendit, quod de eadem virgine, uti nunciasti, paras. Quaedam a te admirandae vitae capita pleniore fuisse lumine illustrata, non sine laetitia conspicimus; ars enim, quam pulcre tractatio praesefert, id efficit ut exantlatae a fortissima puella aerumnae clariore virtutes eius ornamento condecorent. Quod vero prope iam fere est ut edatur amplioris molis opus, in quo universa descripta atque illustrata contineantur, quae ad historiam Ioannae Venerabilis pertinent, illud et cum iucunditate novimus et cum desiderio expectamus. Omnino erit id tua dignum industria, doctrina et pietate: erit etiam nobilitati sanctitatique consentaneum gesto-

rum Ioannae, quippe ea prae ceteris decet fusiore calamo curisque impensioribus prosequi, e quibus virtuti publicae possunt splendidiora exempla manare.

Auspicem divinorum munerum Nostrique grati animi testem, Apostolicam Benedictionem peramanter tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVIII Iulii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

LETTERA CIRCOLARE

DELL'EMO SIGNOR CARDINALE SEGRETARIO DI STATO DI SUA SANTITÀ
AI REVERENDISSIMI ORDINARI D'ITALIA

Illmo e Revmo Signore,

La Santità di Nostro Signore Pio Papa X, deplorando i tristi effetti della mancanza d'intesa, concordia, ed unità di propositi nella direzione dell'Opera dei Congressi e dei Comitati Cattolici d'Italia, principalmente in seno al Comitato Generale Permanente, e prendendo in matura considerazione l'intiero sviluppo dell'Opera coi documenti e fatti più o meno recenti che la riguardano, ha ordinato al sottoscritto Cardinale Segretario di Stato di rendere note ai Revmi Ordinarî d'Italia ed alle persone interessate le seguenti risoluzioni e prescrizioni:

I. Riconoscendo i meriti e facendo plauso alla rettitudine e buona volontà dei singoli membri del Comitato Generale Permanente, e in modo particolare dell'egregio Conte Grosoli, nondimeno, per provvedere più efficacemente alle attuali esigenze dell'Azione Cattolica, si dichiara sciolto definitivamente lo stesso Comitato Generale Permanente. L'archivio del disciolto Comitato sarà per intiero consegnato all'Emo Cardinale Vicario di Sua Santità.

II. L'Azione popolare cristiana (o democrazia cristiana secondo gli intendimenti della Santa Sede), la cui somma utilità e morale necessità è stata proclamata più volte dalla s. m. di Leone XIII e dal regnante Pontefice, è cosa senza dubbio della massima importanza. Il Santo Padre, avendo affidato detta Azione popolare Cristiana in modo speciale al II Gruppo dell'Opera dei Congressi, sotto la sapiente direzione del Conte Stanislao Medolago-Albani, ne riconosce gli ottimi successi e vuole che il II Gruppo rimanga immutato sotto la stessa direzione; anzi, intende concedere più ampi poteri al Presidente, e perciò gli accorda tutte quelle facoltà, che non poteva esercitare senza dipendere dal Comitato Generale Permanente o dalla Presidenza di detto Comitato.

III. Gli altri Gruppi e Sezioni Permanenti istituiti in Italia, ossia i Gruppi Generali I, III, IV e V, colle relative Sezioni Generali, rimangono sciolti, come il Comitato Generale Permanente. I relativi archivî per ora saranno conservati presso le stesse persone che attualmente li ritengono in custodia. I poteri dei Gruppi Generali I, III, IV e V sono devoluti ai Gruppi Regionali e Diocesani, sotto l'immediata tutela, sorveglianza ed approvazione dei Vescovi.

IV. La nomina del Presidente Generale del II Gruppo è riservata alla Suprema Autorità Ecclesiastica. Si conferma nel suo officio di Presidente Generale del II Gruppo il Conte Stanislao Medolago-Albani, con facoltà di eleggere quelle persone, che dovranno occupare gli altri uffici dello stesso

Gruppo, nonchè di ammettere nel medesimo, d' intesa con i componenti la presidenza, tutti quelli che potranno prestare utili servizi all'Opera. Sua Santità vuole che non sia ammesso nel II Gruppo alcun ecclesiastico, senza l'autorizzazione del proprio Vescovo e di quello nella cui diocesi temporaneamente risiede; vuole altresì che dal II Gruppo sia eliminato ogni elemento di discordia, e con ferma dolcezza siano sempre esclusi quegli individui, ecclesiastici o laici, che sono noti per poca esattezza dottrinale in questioni di Azione popolare Cristiana, amatori e seminatori di novità malsane, poco schietti nelle difesa degli intendimenti e dei diritti della Sede Apostolica, o poco sinceri nella osservanza costante delle direzioni pontificie.

V. Non si potrà adunare alcun Congresso Generale senza speciale facoltà della Santa Sede. I Congressi Regionali e Diocesani potranno essere tenuti sotto la piena dipendenza dei Vescovi e previa la loro licenza per iscritto. Se però il Congresso sarà Regionale, il permesso e la sorveglianza immediata spetteranno al Ven. Presidente delle Conferenze episcopali della Regione; e se il Congresso Regionale avrà luogo in una diocesi differente da quella del suddetto Presidente, dovrà farsi d'accordo coll'Ordinario della stessa diocesi.

VI. In detti Congressi si osservino le seguenti norme generali: *a)* Nessun sacerdote o chierico vi sia ammesso senza licenza del proprio Vescovo e di quello del luogo dove è tenuto il Congresso. *b)* Si evitino, in quanto è possibile, le forme più proprie di parlamenti politici che di adunanze

fraterne di cattolici. *c)* Non si conceda mai la parola alle Signore, benchè rispettabili e pie. Se alcuna volta i Vescovi crederanno opportuno di permettere adunanze di sole Signore, queste parleranno sotto la presidenza e sorveglianza di gravi persone ecclesiastiche. *d)* Se in ogni tempo nelle discussioni di Azione Cattolica deve evitarsi il volere far trionfare la propria opinione, citando parole del Sommo Pontefice che si pretendono dette ed udite in private udienze, molto più deve ciò evitarsi nei Congressi; poichè, oltre il poco rispetto verso il Sommo Pontefice, vi è non lieve pericolo di malintesi a seconda delle proprie personali vedute. La via sicura per sapere ciò che veramente vuole il Papa è di attenersi agli atti e documenti pubblici emanati dalla competente autorità.

VII. Ogni Vescovo che ha la facoltà di nominare il Presidente e i membri del Comitato diocesano può per gravi motivi sciogliere i Comitati, i Gruppi e le Sezioni esistenti nella sua diocesi, può porre il *veto* a nomine e risoluzioni emanate dalle diverse direzioni dell'Opera dei Congressi in cose appartenenti alla sua diocesi, qualora non le credesse vantaggiose ai suoi diocesani; giacchè, salvo il giudizio della Santa Sede, in tale materia il solo Vescovo è giudice competente. Senza l'approvazione del Vescovo non si possono fondare Comitati nè opere di Azione Cattolica nel territorio della sua giurisdizione. Quanti hanno a cuore il vero progresso e i risultati dell'Opera dei Congressi in tutte le sue manifestazioni ricordino sempre questa grave sentenza: *È preferibile che un' opera non si faccia, anzichè farla all'infuori*

o contro la volontà del Vescovo. Perciò abbiano sempre sotto gli occhi ed osservino fedelmente gli Avvertimenti ed il Programma di Azione popolare Cristiana, che si trovano annessi allo Statuto e Regolamento dell'Opera dei Congressi (App. *A,* e *B*), l'Istruzione della S. C. degli Affari Ecclesiastici Straordinari del 27 Gennaio 1902 ed il recente *Motu-proprio* emanato dal Santo Padre sopra la stessa Azione popolare Cristiana. — Molti deplorevoli inconvenienti non si sarebbero verificati, se tutti i giornalisti cattolici avessero ricordato, letto con più frequenza ed osservato con più lealtà quanto vien stabilito in quei gravi documenti. Vuole perciò il Santo Padre che i Vescovi con particolare sollecitudine e con paterna fermezza esigano la piena sottomissione dottrinale e pratica alle prescrizioni e norme di quei documenti medesimi.

Il Santo Padre con queste disposizioni intende assicurare un più opportuno indirizzo alle opere cattoliche in Italia, le quali, senza l'efficace e costante azione dei Vescovi, che hanno dal Cielo grazia di stato e lumi speciali per il buon Governo delle loro Diocesi, saranno sempre languide, incerte e confuse. I Cattolici, animati da vero spirito di fede, comprenderanno di leggieri che le norme presenti non devono e non possono significare un regresso nell'Azione Cattolica in Italia, nè una diminuzione di fiducia da parte della Santa Sede verso quanti si dedicarono allo sviluppo dell'Opera dei Congressi; ma, al contrario, importano una ferma volontà nel Sommo Pontefice di dare più vigorosa vita a tutta l'Opera ed in particolare all'urgente e necessario progresso dell'Azione popolare Cristiana. Esorta perciò i vecchi come i

giovani dell'Azione Cattolica a dimenticare ogni motivo di amarezza tra loro, a lavorare tutti d'accordo con piena e filiale sottomissione ai Vescovi, ben sicuro che tutti i Sacri Pastori considereranno come cosa di primaria importanza nel loro ministero il promuovere ed incoraggiare con costante e paterna sollecitudine le opere suddette.

Questa circolare dovrà essere letta in ogni associazione cattolica e pubblicata per intero ed in un solo numero nei giornali cattolici d'Italia.

Nel renderla informata di quanto sopra, con sensi di distinta stima passo a dichiararmi

della S. V. Illm̃a e Rm̃a

Vaticano 28 Luglio 1904.

Servitore
R. Card. Merry del Val

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
MICHAELI TIT. S. MARIAE PACIFERAE
S. R. E. PRESB. CARD. LOGVE ARCHIEPISCOPO ARMACHANO
ARMACHAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod publicus rumor iam detulerat tuae Nobis litterae confirmarunt, dedicationem videlicet novi Templi, Deo in honorem Sancti Patricii sacri, feliciter ac secundum spem omnium splendidissime cessisse. Gratulamur tibi praeclare factum catholicisque Hiberniae universis, eo praesertim quod celebritas ista novo testimonio patefecerit quam alte fides in Hibernorum animis haereat quamque ii indivulse cum Beati Petri Cathedra coniungantur. Gratias tibi praeterea de officiosis litteris peramanter agimus; atque ut benevolentiam iterum testemur, qua Hibernorum gentem complectimur, Apostolicam Benedictionem, munerum divinorum auspicem, Tibi ceterisque Episcopis, nec non clero ac fidelibus universis effuso corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Augusti MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
VINCENTIO SARDI AB EPISTOLIS NOSTRIS AD PRINCIPES
CANONICO PETRIANO

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Exposuisti Nobis, vixdum a benignitate Nostra ad munus evectus fuisti epistolarum Nostrarum ad Principes conscribendarum, reperisse te in Tabulario tuae curae credito documenta omnia, quae ad Definitionem Dogmatis de Immaculato Conceptu augustae Deiparentis Mariae pertinerent. Usus autem opportunitate celebritatum, quibus, decembri proximo, quinquagesimus annus a dicta Definitione commemorabitur, consilium inivisti ea documenta omnia, si placeret Nobis, in lucem edendi, ac volumen Nostro Nomini dedicandi. Propositum, dilecte fili, quod iam probavimus, probamus iterum, et volumen dicari Nobis libentissime annuimus. Idque non eo solum quod labore a te suscipiendo Magnae Dei Matri honor accedet; verum etiam quia ex memorata documentorum editione licebit cuique agnoscere qua cunctatione, qua prudentia, quibus diuturnis consiliis

Pius IX, Decessor Noster, in tanti momenti re usus fuerit. Non dubitamus quin librum omnes laeto animo sint excepturi quotquot vel sacrae student eruditioni, vel Sanctam Dei Matrem peculiari pietate prosequuntur. Tibi interea caelestium munerum ubertatem adprecamur. Nostrae vero benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XV Augusti MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
MICHAËLI RVA, SACERDOTI
AC SVPREMO SODALITATIS SALESIANAE MODERATORI
AVGVSTAM TAVRINORVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Si consentanea meritis expectanda a Nobis benevolentia est, multam erga te dilectionem praeferre Nos equidem decet, qui Salesianam Sodalitatem ad illustriores laudes constanti progressione contendere iamdiu perspicimus. Ab illustri excitata viro, in quo christianarum virtutum exemplar, caritate principe, luceret, atque ad gloriam Deo comparandam candide uniceque adlaborans, maxima coetus commoda societati hominum peperit, quorum perficiendae virtuti multa in toto orbe opera suscepit, praesentium ingenio temporum nullam partem posthabito. Amplificatam mirifice sodalitatem non modo sodalium numero, qui vitam communi instituto agant, sed etiam accessione eorum, qui ob collatam opem et ob sacra emolumenta percepta cooperatorum nomine gaudent, et Ipsi iam pridem novimus et tuo confirmatum testimonio

videmus. Ostendit id et declarat Sodalitatem Salesianam, quod quidem laudi solatioque est, carissimam christiano populo esse, cuius sanctitudini serviens, utilitati servit. Placet tamen fideli omni, omnique aut dioecesi, aut civitati, aut paroeciae commendare illam enixius, velint uti omnes eandem complecti voluntate et gratia progredienti, ea praesertim de caussa quia in instituenda christiane iuventute, mirum cum quanto convictus humani incremento, sodalitas tota est. Etenim puerorum adolescentiumque formare animos rem omnium gravissimam pro conditione temporum putamus; quae sane, quemadmodum vehementissime sollicitudinem Nostram semper exacuit, ita debet ad omne genus subsidia Christifidelium incitare voluntates. Hi autem optimum providentissimumque fecerint, si, nomine dato cooperatorum coetui, Salesianam familiam exauxerint; navata enim in hunc modum opera ingenti ipsis ac sodalitati commodo erit, molestiae ipsis non erit. Quoniam vero Salesianis cooperatoribus singularis ac praecellens quaedam significatio favoris ab utroque Decessore Nostro Pio IX ac Leone XIII fel. rec. nullo tempore defuit, sacrarum praecipue indulgentiarum thesauris reclusis, haec ipsa iterare ac renovare libet benevolentiae testimonia, ob eamque rem Indulgentias omnes atque universa privilegia laudato cooperatorum coetui antea tributa, Nos quoque propensissima voluntate concedimus. Addimus autem ex intimo corde votum, ut ordo idem cooperantium, tam insigni meritorum nobilitate conspicuus, numerumque ad tercenta hominum millia, sicut est Nobis relatum, brevi tempore assecutus, maiora in dies incrementa capiat, eoque, Dei gratia, pertingat ut, sive in urbibus, sive in pagis,

ubicumque aut spiritus foveatur legiferi Salesianorum patris, aut alatur amor, novis amplificetur asseclis, rei in primis Episcoporum cura favente. Nostrum praeterea studiosum erga sodalitatem animum Apostolica Benedictio testetur, quam tibi singulisque sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Augusti MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
GASPAR DEL BVFALO, FAMVLVS DEI VENERABILIS,
BEATORVM CAELITVM HONORIBVS AVGETVR.

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Salutare illud praeceptum, quod Redemptor humani generis Christus dedit discipulis suis « euntes docete omnes gentes », constanti Divinae Providentiae consilio, ita omni aetate in Ecclesia Dei viguit, ut ipsa nunquam strenuis ac sollertibus caruerit administris, qui catholicae fidei provehendae studio adducti, divinam sapientiam late populis traderent. Et sane caelestis paterfamilias, qui a prima ad postremam diei horam nunquam cessat conducere operarios in vineam suam ad eam excolendam, novissimis temporibus, cum ob graves civiles perturbationes sacrorum operariorum praesidio indigeret Ecclesia, inter ceteros misit Venerabilem Dei Famulum Gasparem del Bufalo, qui, omni christianarum virtutum laude excellens in assidua Apostolici ministerii exercitatione, vitam ita exegit, ut, supernae veritatis praeco strenuissimus, iure meritoque usurpare potuerit dicta Pauli ad Corinthios: *pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos*, Roma, tot sanctorum virorum inclyta mater et altrix, hoc etiam gaudet alumno; in hac enim alma Urbe, die VI Ianuarii MDCCLXXXVI,

piis parentibus ortus, a teneris unguiculis, « sicut lux oriente sole mane absque nubibus rutilat » praeclara, fidei, innocentiae ac pietatis specimina praebuit. Puer adhuc, procul a nugis primae illius aetatis propriis, his unice delectabatur, quae ad Dei cultum instituta videret, altariola industriose componens, sacrasque referens caeremonias inter ceteros pueros, quos, suo praesertim exemplo, timorem Domini et erga parentes reverentiam edocere studebat. Etenim primis illis ab annis tanto erga Deum et proximum amore ferebatur, ut clericali militiae nomen dare constituerit, quo ad gentes infideles evangelizandas pergeret, ibique vitam pro Deo cum sanguine funderet. Quod consilium cum per aetatem exequi non posset, totus in id incubuit, ut sapientia cresceret et gratia coram Deo et hominibus: siquidem in lyceo Gregoriano praeceptorum laudes promeruit atque omnibus exemplo fuit, praesertim quod, piis sibi adiunctis sociis, religionis et caritatis officia cum ipsis exerceret, verboque et opere condiscipulos hortaretur, ut, custodiendo sermones Dei, corrigerent vias suas et immaculati Domino in directione cordis confiterentur. Canonicatu auctus in insigni marciana Basilica et sacerdotio initiatus pridie Kalendas Augusti anno MDCCCVIII, veluti lucerna super candelabrum posita, refulsit in templo Dei in omnimodis sacri ministerii muneribus obeundis.

Ad pauperum levamen piae Societatis a Sancta Galla incrementa curavit; nocturnum ad Sanctae Mariae in Vincis coetum pietatis palaestram esse voluit; piae Congregationi Sancti Pauli Apostoli pro Clero instituendo multum operis impendit; ac perpetuo studio adductus provehendi cultus pretiosissimi Sanguinis Redemptoris Nostri Iesu Christi, eo

tamquam vexillo munitus, vim omnem suae caritatis exercuit, animum adiiciens omni prope conditioni vitae ad sanctitatem revocandae. Sed cum iam spectata apostolicorum laborum laude floreret, subito tempestas in Gallis oborta totam concussit Europam, ac tum supremum Pontificem, rec. fel. Pium PP. VII Praedecessorem nostrum, tum optimum quemque ex hac Alma Urbe, sanctimoniae ac virtutis domicilio, eiecit. Tum Venerabilis Dei Servus mirum christianae fortitudinis exemplum edidit; oblata enim illi conditione ut, vel iuxta verba Gallici Praefecti iuraret fidemque et obedientiam sponderet Imperatori, vel, si detrectasset, custodiam et deportationem subiret, tribus sese verbis expedivit gravibus profecto et magnanimis: « *nec possum, nec debeo, nec volo* »; et continuo Placentiam, Bononiam, Forum Cornelii, dein in arcem Luci devectus, ne Sanctae Ecclesiae iura nefario iureiurando vel minimum laederet, exilii et carceris aerumnas, invicto quidem animo, toto quadriennio toleravit. In libertatem restitutus ac Romam reversus, Deo ad maiora vocante, Canonicatu se abdicavit, ut animarum saluti vacaret impensius, et aliquot piis Sacerdotibus sibi adsociatis ad sacras expeditiones et spirituales exercitationes, anno Domini MDCCCXIV, prima fundamenta iecit Congregationis presbyterorum saecularium, quam a pretioso Sanguine appellandam esse duxit. Tum Venerabili Dei Famulo perampla ac maxime laboriosa adsignata Provincia. Nam quemadmodum Christus Deus, intuitus Petrum, optimum illum Piscatorem hominum fore praevidit, ita redux a captivitate clar. mem. Pius PP. VII, Praedecessor Noster, ubi primum convertit oculos in Venerabilem Dei Servum Gasparem, percepisse videtur animo

quae et quanta Deus per eum facturus esset, ideoque voluit ut directionem ac regimen Sacrarum Missionum, tristissima illa tempestate ad innovandos mores atque excitandam pietatem in Pontificia ditione habendarum, ipse susciperet. Ingens erat messis; pauci pro illius amplitudine operarii; sed dicto audiens Gaspar, exordientis suae Congregationis Alumnos sibi adiungit, Missiones ipsas quasi Congregationis fundamentum constituit, socios alios quaerit et reperit, et Summi Pontificis mandatum promptus atque alacer implet. Seipsum praebens exemplum bonorum operum, praecipue in pietate, humilitate ac mortificationis et poenitentiae spiritu, tamquam bonus Christi adiutor, multorum operariorum animos gerens in Dei gloriam et proximorum utilitatem viginti duos annos constantissime desudavit. Umbriam, Aemiliam, Picenum, Tusciam, Campaniam, Samnium, universas fere mediae Italiae regiones sacris expeditionibus lustravit, nullis laboribus parcens; in habendis enim Missionibus illud sibi proposuerat, nunquam sibi esse quiescendum, nullam valetudinis curam habendam, nullum otium, nullam neque corporis neque animi relaxationem sibi concedendam, ubi de proximorum sempiterna salute ageretur. Quare non difficultate itineris, non coeli inclementia, non periculis deterritus, oppida, pagos, vicos pedes adibat, apostolicae caritatis vestigiis ubique relictis. Nulla unquam laboris cessatio; modo conciones ad populum habet, modo pueris ac puellis christianam doctrinam tradit, modo coetus virorum ac mulierum separatim alloquitur, modo animam agentibus adsidet, modo aegrotos invisit, solatur animum, morbi molestiam humanissimis officiis lenit. Vere missus a Deo in Apostolatu apparuit; mira eius caritas in

simultatibus et inimicitiis dirimendis effulsit; concordiam et tranquillitatem ubique restituit. Ipsi latrones ac nefarii sceleris sontes, e nemorosis latibulis educti, divini verbi praeconis eloquentia tacti, sese admissorum confessione expiabant, ad bonam frugem ultro redeuntes. Quocumque iter faceret, pacem habebat comitem, ita ut merito Angelus pacis appellatus sit, et, christianae pietatis in omni coetu excitator, vere salus populis extiterit. Et nostra haec ipsa Roma testis est flagrantissimae caritatis eius. Canonicus enim, ut supra diximus, ad Sancti Marci, perinsignis illius Basilicae decori atque utilitati prospexit; tum adolescentium in gymnasiis atque orphanotrophiis degentium, tum pauperum in nocturnis hospitiis receptorum, tum etiam miserorum in custodiis publicis vinctorum spirituali emolumento ac solamini, industrio studio, consuluit. Haec inter, quod sibi proposuerat, perfecit; sub titulo enim Pretiosissimi Sanguinis Christi Domini inchoatam a se Congregationem, divina gratia repletus, sapientibus regulis ita communivit, ut in praesens Ecclesia Sponsa Dei etiam hac nova familia ad uberrimum animarum fructum decorata effulgeat. Aliam institutionem valde perutilem sibi proposuit, cum, Mariae De Matthias consilium eidem petenti de divina vocatione cognoscenda, Institutum Sororum sub eodem titulo Pretiosissimi Sanguinis erigendum clare praedixit et iniunxit, ad puellas in mysteriis fidei erudiendas et in societatis bonum instituendas. Habitum induendum descripsit, et quod pro regulari regimine oportebat praecepit, ideoque iure ac merito Instituti Pater ab ipsis reputatur. Talis cum esset Servus Dei, longe lateque de ipso fama sanctitatis percrebuit, quam caelestibus charismatibus splendidiorem Deus

ipse reddidit. Et sane, ubicumque vestigium posuit Venerabilis idem Dei Servus, rerum faciem immutavit. Morum licentiam coërcet, scandala, etiam inveterata, penitus extirpat, blasphemos homines ab impia consuetudine deterret, vitiorum invitamenta prohibet. Contra, inducuntur boni mores: sacramentorum commendatur frequentia; piae sodalitates instituuntur; pietatis caritatisque christianae opera efflorescunt; denique, demptis et evulsis in agro Dominico, cuiuscumque modi, zizaniis, fruges uberes effunduntur. Quare non plebi solum, sed viris etiam dignitate ac virtute amplissimis carus aeque ac venerabilis fuit; quos inter, pluribus Romanae Ecclesiae Cardinalibus, et summis quoque Pontificibus Pio VII ac Leoni XII fel. rec. Praedecessoribus Nostris. Tandem Apostolatus sui nunquam intermissis laboribus fractus, ad vitae exitum non imprudens pervenit,, sed, toleratis patienter morbi ingravescentis doloribus, caelesti dape refectus, ceterisque Ecclesiae spiritualibus subsidiis munitus, veluti dulci indulgens somno, placidissimo exitu mortalem vitam cum caelesti gloria feliciter commutavit anno MDCCCXXXVII, aetatis suae quinquagesimo secundo, die XXVIII Decembris mensis, quo sanctorum Martyrum Innocentium triumpho gaudet Ecclesia. Quum pretiosa Sanctorum morte quievit, tredecim extabant Congregationis, quam condiderat, domus, et fama usquequaque diffusa legiferi Patris ac Sacerdotis sanctissimi post obitum illius vividior floruit. Funus, quo Romae elatus est atque in Albanensi Civitate iteratum, curantibus Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis familia, clero et populo, iure gloriosum caelestibus etiam signis dici potuit. Biennio vix elapso, de fama Sanctitatis Servi Dei inquiri coeptum

est, atque peracto processu ordinario riteque exhibito penes Congregationem sacris tuendis Ritibus praepositam, causa introducta est. Probationibus autem iuridice sumptis ac perpensis, fel. rec. Decessor Noster Leo PP. XIII, xiv Kalendas Apriles, anno MDCCCXC, Venerabilis Dei Servi Gasparis Del Bufalo virtutes heroicum attigisse fastigium, solemni sanxit decreto. Inita est dein actio de miraculis, quae, eo deprecante, divinitus patrata ferebantur. Nosque, per decretum editum quarto Kalendas Iunii volventis anni, de duobus miraculis, intercessione ipsius Venerabilis Dei famuli a Deo patratis, constare similiter, suprema Nostra Auctoritate, declaravimus. Quum igitur de virtutibus et de duplici miraculo iam esset prolatum iudicium, illud supererat discutiendum num idem Venerabilis Dei famulus inter Beatos Caelites tuto foret recensendus. Quod praestitit Dilectus Filius Noster Dominicus S. R. E. Presbyter Cardinalis Ferrata, Causae Relator in generali conventu coram Nobis in Vaticanis Aedibus decimo octavo Kalendas quintiles huius anni habito, omnesque tum Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi, tum qui aderant Patres Consultores, unanimi suffragio, affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse Deo preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium Nobis compararemus. Octavo vero Kalendas Iulias vertentis anni, die, qui natali faustissimo Ioannis Praecursoris festus elucet, Nos, eucharistico prius litato sacro, adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi, sacrorum Rituum Congregationis Pro-Praefecto, et praefato Dominico Ferrata, Relatore, nec non Venerabili Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo Laodicensi, eiusdem Congregationis Secretario, et

Rev. P. Alexandro Verde, S. Fidei Promotore, Suprema Nostra Auctoritate, decrevimus tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli Gasparis del Bufalo Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos, moti precibus universae Congregationis Missionariorum et Sororum Pretiosissimi Sanguinis, harum literarum vi, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famulus Gaspar del Bufalo, Canonicus Basilicae S. Marci de Urbe et Institutor Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis, Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra Auctoritate concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa singulis annis de Communi Confessoris non Pontificis cum orationibus propriis, a Nobis approbatis, iuxta Rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in hac Alma Urbe Nostra eiusque districtu atque in templis omnibus atque oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Congregatio Sacerdotum Missionariorum et praefatarum Sororum sub eodem titulo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi, ab omnibus Christi fidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missam attinet, ab omnibus Sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus, servato decreto Sacrae Rituum Congregationis M. 5862 Urbis et Orbis, die IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famuli Gasparis del Bufalo in Urbe Nostra, in districtu eius ac in supradictis templis celebrentur ad

normam decreti seu instructionis sacrae Rituum Congregationis die XVI Decembris MDCCCCII de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem statis legitima Autoritate diebus fieri praecipimus, intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae Voluntatis significationi, hisce literis ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XXIX Augusti, festo S. Petri Damiani, an. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ATHENOGENI ARCHIEPISCOPO MECHOACANO
MORELIAM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nuncium sane gratum accepimus, Octobri proximo ineunte totius Mexicanae nationis sacros antistites lectosque ex omni ordine catholicos viros ad te, Venerabilis Frater, conventuros esse, ut de cultu amplificando augustissimae Dei Matris consultent, simulque, Ipsa auspice, deliberent, quibus maxime modis sociales popularium suorum rationes adducere in melius possint. Cognita vulgo quum sit singularis et eximia erga beatissimam Virginem gentis vestrae pietas, dubitandum non erat quin eadem hoc anno illustrius emineret: quum scilicet in habendis honoribus Mariae ab origine Immaculatae, ob renovatam memoriam definiti dogmatis, catholicorum hominum toto orbe certant studia. Iamvero in rebus, quibus eam vos faustitatem celebrabitis, facile principem locum tribuimus Mariano isti conventui: quippe experiendo constat, quam magna sit horum similiumque coetuum hodie opportunitas. Etenim, quo tempore

videmus fidei vitaeque christianae adversarios ubique foederatis viribus invalescere ad perniciem populorum, quid magis opus est, quam *filios lucis*, ne in tanta necessitate rerum *prudentiores* eis *filii tenebrarum* sint, arctioribus inter se vinculis obstringi ad salutem communem? Huc porro mirum quantum conducit frequentes identidem congregari bonos, ducibus Episcopis, ut et lumina sui quisque iudicii et experientiae conferant, et, quae idonea visa sint, capiant consilia, et voce atque hortatione mutua incitentur. Id apud complures gentes, consequente copia optimorum fructuum, iamdudum factitatur; id ipsum nunc apud vos feliciter incipit fieri Mariano conventu: cui Nos quidem, ob spem praeclarae publice privatimque utilitatis, prosperum optamus precamurque exitum; scimus enim gravia et opportuna vobis ad disputandum esse proposita. Ceterum vestra omnium, Episcoporum in primis, actuosa sollertia, flagrans religionis patriaeque caritas, addictissima Nobis ac Sedi Apostolicae voluntas uberem laboribus studiisque vestris conciliabunt, quod caput est, divinae benignitatis opem, patrocinio praesertim Deiparae, cuius nominis gloriaeque amor causam vobis coëundi dabit. Nos vero caelestium munerum pignus sit volumus Apostolica Benedictio, quam, testem pariter paternae benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, ceterisque tuis in Episcopatu collegis, et universis, qui vobiscum una convenient, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILIS DEI SERVVS IOANNES MARIA BAPTISTA VIANNEY
IN BEATORVM COELITVM NVMERO REFERTVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Divinae semper fuit Providentiae consilium, ut in Ecclesia sancti viri nulla aetate deessent, quibus et praeclara ad imitandum extarent exempla, et catholicae fidei veritas non minus quam virtus summopere confirmaretur. Inter hos apprime recensendi sunt religiosorum ordinum sodales, saeculares presbyteri, et ii quidem, qui, pastorali munere sanctissime functi, vitam pro sibi concredito grege strenue profuderunt. Singularem ab his postremis gloriam sibi comparavit Venerabilis Dei Servus Ioannes Maria Baptista Vianney, Parochi « d'Ars » vulgo nomine pernotus, qui licet in humili et quasi abdita sede maneret, adeo tamen sanctitatis fama inclaruit, ut omnium non animis modo, sed prope oculis adhuc quasi vivus obversetur. Ortus in pago vulgo « Dardilly » nuncupato, Dioeceseos Lugdunensis, VIII idus Maias anno MDCCLXXXVI, quum eodem die sacro Baptismate ablue-

retur, auspicata Ioannis ac Mariae nomina accepit. Parentes fuerunt Matthaeus et Maria Beluse, domesticis copiis instructi agricolae, qui eximia religione pariter atque effusa in pauperes praestantes caritate, Ioannem ad assiduas preces, horrorem peccati et suavissimum in Deiparam Virginem amorem usque a puero instituerunt. Pecoris custos naturam attento animo intuetur, Deum Creatorem omnium adorat, et ante parvum Mariae simulacrum, a matre sibi donatum, preces effundens, alios pastores, ut idem faciant, verbo atque exemplo excitat atque movet. Pro viribus nititur ut Sacrosancto Missae Sacrificio adsit quotidie, et cum propter temporum iniuriam Sacrum in suo pago fieri nequeat, longum pedibus iter ad proximum vicum, quem « Ecully » vocant, crebro conficit, ne tanto careat solatio. Ibi pariter tertium ac decimum annum suae aetatis agens, ardentissimum animi desiderium explevit; omnibus enim angelicam ipsius pietatem et innocentiam mirantibus, Sancta de Altari primum libavit. Incredibile est dictu quam multos Ioannes e caelestibus epulis fructus perciperet; in laborando mente Deum orat, precarium sertum, simul ac potest, omnium in conspectu recitat, seque a quolibet piaculo sartum tectumque servans, omnigenae virtutis exemplum aliis praebet. Publica autem in Galliis reddita religioni dignitate, Ioannes, septendecim annos natus, almo Chrismate a Cardinali Fesch, Antistite Lugdunensi, inunctus est, primo suo nomini illud Baptistae addidit, ac Sacerdotium inire constituit. Magnas ac pene invictas in studiis difficultates expertus, piam eas exsuperaturus ad S. Francisci Regis sepulcrum peregrinationem suscepit, victum quaeritans, et quocumque iter faceret, pro-

bris maledictisque vexatus. Verum ex eo die, ac si Deus praemio ob tantam animi demissionem eum afficere voluerit, visus est disciplinas facilius addiscere, et cum gravia sibi eo tempore obiecta impedimenta, mira constantia, devicisset, magnum ipsi tandem Lugdunense Seminarium ingredi licuit. Ibi, divina fretus ope, quam assidue flagitabat, summa se scientiis voluntate excolendum tradidit, atque in eis, periculo facto, satis idoneus habitus fuit, qui Sacerdotio initiaretur. Dignum suis laboribus pretium! Nam cum se aetate progressum variisque disciplinis minus excultum animadverteret, totis viribus contendebat, precibus potissimum et opera, ne sibi negaretur divinae maiestati hostiam immolare. Ardentis huiusmodi voti compote facto, tum manifesto apparuit Ioannis anima sacerdotalis; in peccatores enim et in egenos caritas, plurimum studii et curae in poenitentium confessionibus excipiendis diu noctuque collocatum, prudentiae denique ac sapientiae omnibus tradita consilia universam in eum admirationem statim concitarunt. Sed campus, ubi Venerabili Dei Servo duo et quadraginta annos aeternae vitae colligendi fructus erant, ille pagus extitit, qui, in Dioecesi Bellicensi positus, vulgo « Ars » audit, et quo Ioannes, triennio post sacros susceptos ordines, quasi angelus e coelo missus fuit. Duo primum sibi Dei famulus animo molitur, religionis cultum instaurare, ac fidelibus peramanter adesse, et haec quidem non minus pro suggestu, quam tribunali admissis expiandis obtinere. Enimvero Sacramentum augustum novis honoribus colit, ac teneram in Mariam Virginem pietatem simul cum Dei et Ecclesiae legibus observandis altius in animis defigit, ex quo protinus factum est, ut Sacro

nunc plures adstarent profestis diebus, quam antea festis. Parochialis aedis decorem auget, ac dum se vel necessariis orbat, omnes suas opes, interdum sibi divinitus traditas, ad illam extruendam exornandamque decernit. Neque id satis habuit fecisse; nam tria pericula, quibus aeterna incolarum salus in discrimen adducebatur, propulsare sibi proponit; violatum idest Domini diem, insolentem chorearum usum, et in cauponis frequentiam. Quae ad rem ex aequo et bono iudicandam et animos conciendos facere potuerint, ut sanctum hunc finem assequeretur, omnia Dei servus effectui dedit, et nec laboribus nec lacrymis parcens, tandem a fidelibus, suo magno gaudio, exoravit ut a pravis huiusmodi consuetudinibus discederent. Tunc vicus munitissimum oppidum videbatur contra errores in tanta temporum calamitate undique irrepentes, non minus quam contra effraenatam morum licentiam. Quin etiam fidelium erga caelites religio, quibus sanctus vir sui templi altaria dedicaverat, magis magisque in dies crevit, et sive ob pias ab ipso institutas Sodalitates, sive ob Sacramenta frequenter excepta, viculus ille felix virtutum asylum ab omnibus ducebatur. Tanti viri sanctimonia diutius occultari non quita est, sed longe lateque pervulgata, id brevi effecit, ut homo Dei ad alias regiones invitaretur de rebus divinis ad populum dicturus. Multifariam igitur Ioannes concionari aggressus, hic dolorem abstergit, illic affert consilia, omnes excipit benigne, unde vehemens illud exortum est sui desiderium, quod postea ad eum consulendum innumeros peregrinantes in Ars pagum allexit. Neque animabus imprimis prospiciens, corpora obliviscitur; cum enim inter ceteros egenos puellas vidisset alias orbitate

laborantes, alias pene relictas, cunctam suam rem familiarem in erigendo hospitio insumpsit, eique Providentiae nomen indidit. Et vere hanc domum tuta est Providentia; nam saepenumero in extrema rerum inopia mirum in modum iterum instructa fuit. Sed si Ioannes alienos colit agros, suum incultum non deserit; christianae enim perfectionis culmen intuens; semper novos in ea potioresque gradus attingit; super nudos asses exiguo stramento tectos, paucas horas, ac non sine curis obdormire, acrem miserumque cibum sumere, et eo saepissime prorsus abstinere, demum unam sibi, obsoletam quidem ac laceram, induere vestem. Huc accedit quod genium suum vel in minimis defraudaret seque flagellis exquisitisque maceraret tormentis. Atque ita fortis animi virtutes in dies elucebant, et simul cum incenso amore in Deum, in Deiparam Virginem atque in defunctos admissa expiantes, tam insignis in proximum caritas suique contemptus coniungebatur, ut mente in Domino penitus defixa et corpore consumpto, neutiquam sibi sed prorsus aliis in vita commorari videretur. Sed ubi Ioanni patuit fecunda suae gloriae seges, in peccatorum fuit conscientiis iudicandis moderandisque; vix enim eius fama post sacras in viciniis confectas expeditiones quam maxime vulgari coepit, fideles tam ingenti numero ad eum accurrerunt, sui animi plagas in Confessionis sacramento ei detecturi, ut neque curiale templum, neque vicus ipse illos capere posset; idque non modo e finitimis regionibus, vel paullisper, verum etiam ex omnibus Galliae provinciis et usque a Belgis, ex Anglia ac Germania, et quinque ac viginti annos, nullo intermisso temporis intervallo. Erant omnis conditionis et aetatis homines, qui Ioannis

sanctitate permoti, illuc ducebantur studio virum visendi supernis dotibus ditatum, intimas ipsorum latebras scrutantem, ac praenoscentem futura. Non longum iter vel mora, non multitudo, non pervigilium vel alia huiusmodi incommoda fideles deterrebant, quominus consolationis verba a Dei famulo quaeritarent, hoc uno beati, quod eum viderent, audirent ac de suis miseriis alloquerentur. Cum vero sacra diurna ac nocturna confessione singulis, tum crebris concionibus praesto omnibus erat. Dei verba ab electo viro populo facta tanta suavitate, tanta de animorum salute sollicitudine, tantoque erga caelestes et homines amore redundabant, ut ipse primus, auditores deinde lacrymas effunderent. Sanctum hoc fidelium desiderium, quibus se Ioannes frustra subducere tentavit, ac tam uberes poenitentiae fructus, facere non poterant quin humani generis osor de illius exitio cogitaret. Et quo facilius herois vires infringeret, brevia eius somnia omni strepitus fragorisque genere abrumpere nitebatur. Curialis domus usque ab imis fundamentis quassari ac pene dilabi interdum visa est, et dum Ioannis sodales, qui eadem haec omnia audiunt et vident, totis artubus contremiscunt, ipse unus tranquillo animo consistens, dolosas daemonis artes minime pavet. Verum malus genius, qui ex hoc praelio discesserat inferior, graviore odio Ioannem persecutus, novas ei insidias parat. Nonnullos itaque illius collegas subornat, qui suam ei ignorantiam obiiciant, ardens eius studium in salutem fidelium intempestivum denuncient, eique crimini vertant. Sed Ioannes, utpote sanctus ideoque humillimus, tanta animi demissione pariter ac suavitate has accusationes excepit, tantoque candore se omni poena dignum asseveravit, ut

eius inimici in admiratores commutarentur, et inclyta eius virtus novo lumine praefulgeret. Denique strenuus hic miles pugnando cecidit; postquam enim suo more septendecim circiter horas in exedra admissis audiendis consedit, potius laboribus quam aetate absumptus, gravi morbo correptus est. Quare cum sibi vitae finem adesse praeciperet, se Deo totum obtulit, ac singularia patientiae aliarumque virtutum exempla dedit. Morte autem appropinquante, et sacro Convivio, quod sibi ipse iusserat afferri, summo devotionis sensu in viaticum celebrato, Paroeciae operibus incoeptis, ac Missionariis suis adiutoribus tremente manu benedixit, et die S. Dominico Confessori sacro, anno MDCCCLIX, placidissime in Domino requievit. Fidelium multitudo, quae diu noctuque sui Curionis vitam omnibus a Deo precibus contenderat, in luctu ac moerore iacuit, hoc uno solatio acquiescens, quod si Apostolum in terris amiserat, pollentem in coelo haberet Patronum. Illius venerabile Corpus, quod omnes adire et deosculari discupiebant, biduo expositum est, ac postremo non solum omni civium ordine, sed etiam frequentissimo clero undique accurso, funus honestantibus, ad curiale templum sollemni pompa elatum fuit. Ex hoc igitur tempore cum sanctitatis fama in dies augeretur, ob caelestia quoque prodigia, quibus Deus eam confirmasse tradebatur, illius Beatificationis et Canonizationis causa apud Sacrorum Rituum Congregationem suscepta fuit, ac singulis probationibus ex Ordinariis et Apostolicis processuum tabulis rite expensis, fel. rec. Leo Papa XIII, Decessor Noster, sollemni decreto VII Kalendas Augusti anno MDCCCXCVI edito, sanxit Venerabilem Dei Servum Ioannem heroicis inclaruisse virtutibus.

Deinde quaestio de miraculis agitari coepta est, quae, ipso intercedente, a Deo patrata ferebantur, ac, rebus omnibus severissimo iudicio ponderatis, in triplice disceptatione de eis actum fuit, quarum in ultima vii Kalendas Februarii volventis anni coram Nobis habita, Dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus tuendis praepositi, Praesules Officiales et Patres Consultores suffragium singuli tulerunt. Nos vero in re tanti momenti mentem Nostram aperire distulimus, et adstantes monuimus suppliciter Dei consilii lumen exquirendum fore. Quo facto, solemni alio decreto nono Kalendas Martias in vulgus edito huius pariter vertentis anni, declaravimus de duobus miraculis constare per intercessionem eiusdem Venerabilis Ioannis a Deo patratis. Postea illud unum dubium supererat proponendum, an Venerabilis Dei Servus inter Beatos caelites recensendus foret. Quod propositum fuit a dilecto filio Nostro Francisco Desiderato S. R. E. Cardinali Mathieu, causae relatore, in comitiis generalibus coram Nobis habitis octavo idus Martias huius anni, et in quibus omnes, qui aderant, tum Cardinales, tum Sacrorum Rituum Congregationis Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium Nobis compararemus. Tandem Dominica secunda post Pascha, qua Christus exhibetur in Evangelio exemplar et forma Boni Pastoris, qui « animam suam dat pro ovibus suis », adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi, Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Praefecto, ac praefato Francisco Desiderato Mathieu, relatore, necnon Ven. Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo titulari Laodicen., Sacrae

eiusdem Congregationis Secretario, et Rev. P. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, auctoritate Nostra pronunciavimus, tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Servi Ioannis Mariae Baptistae Vianney Beatificationem. Quae cum ita sint, enixa catholici nominis et praesertim Bellicensium et Francorum omnium vota implentes, Apostolica Nostra auctoritate, harum litterarum vi, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Servus Ioannes Maria Baptista Vianney, « Ars » vici Parochus, Beati nomine in posterum nuncupetur, et eius Corpus seu lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate, concedimus, ut de illo recitetur officium et Missa singulis annis de Communi Confessoris non Pontificis, cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in Civitate et Dioecesi Bellicensi ab omnibus christifidelibus, qui Horas canonicas recitare teneantur; et, quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tum saecularibus, tum regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus, servetur decretum S. Rituum Congregationis N.° 3862 Urbis et Orbis, IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Ioannis Mariae Baptistae Vianney in templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis, XVI Decembris MCMII, de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium designanda intra annum, post-

quam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

L. ✠ S.

A. CARD. MACCHI

DECRETVM

ANCONITAN. ET HVMAN.
EVECTIONIS AD DIGNITATEM ARCHIEPISCOPALEM
HONORIS CAVSA

Honoribus et privilegiis cumulare civitates tum incolarum frequentia, tum nobilitate conspicuas, eas praesertim, quae ab aetate apostolica christianam fidem amplexatae sunt constanterque retinuere, atque episcopali Sede sunt insignitae, fuit semper Romanorum Pontificum sollicitudo. Quod quidem ideo ipsi peregerunt, ut et virtuti honorem debitumque tribuerent praemium, et populos ad meliora aemulanda charismata allicerent. Iamvero inter civitates, civium non solum copia, sed christiana pietate illustres, merito est accensenda civitas graeco nomine Ancon, seu Ancona dicta, a Syracusanis Dionysii tyrannidem aufugientibus, Strabone teste, in littore Adriatici maris, in sinu, qui a Sancto Cyrillo in praesens nuncupatur, condita, cuius cives nunc ad sexaginta fere millia numerantur; urbs totius Piceni facile princeps, ad quam ex omnibus huius regionis partibus, quandoque etiam ex finitimis, cives conveniunt sive ad civilia, sive etiam ad ecclesiastica pertractanda negotia. Huius urbis sub romanis imperatoribus opes, Traiani imperatoris portus et arcus eidem dicatus, aliaque, quae adhuc supersunt, monu-

menta testantur. Nec media aetate Anconitanae civitatis gloria imminuta est, uti obsidiones contra Gothorum et Saracenorum incursus, et victoriae de Friderici cognomento Barbarossa, Germanici imperatoris, copiis partae praeclare ostendunt.

Anconitana Ecclesia et ipsa vetustissima est, cum sua primordia ad aetatem referat Apostolicam. Revera Sanctus Augustinus, de Anconitanae Ecclesiae origine loquens, eam paulo post Sancti Stephani martyrium constitutam testatur; idemque, Hipponae ad suos fideles sermonem habens, templum in memoriam divi Protomartyris in eadem urbe Ancona dicatum commemorat, illudque per totum christianum Orbem miraculorum gloria, quae inibi Sancti Martyris deprecatione fiebant, clarum praedicat.

Episcopalis Anconitana Sedes floruit iam inde antiquitus praeclarissimarum virtutum exemplis. Siquidem, haud longo intervallo, suorum ordinem Episcoporum vidit duobus sanctitatis distinctum luminibus, Primiano et Cyriaco martyribus invictis, quorum primus Anconitanus etiam civis fuit. Nec posterioribus saeculis inter Anconitanos Praesules defuerunt qui eandem Sedem, vel vitae sanctitate, vel scientia rerumque gerendarum peritia, illustrarent, uti Sanctus Traso, Beatus Antonius Testati, Anconitanus civis, Cardinalis Marcellus d'Aste, quem Innocentius XII, Anconitanae dioecesis regimini praeficiens, publico in Consistorio Sanctum declaravit, atque aliis praetermissis, Cardinalis Lambertini, postea Benedictus XIV, qui innumeris beneficiis Anconitanam Urbem cumulavit.

Praesulum suorum vestigia complures Anconitani cives persecuti sunt. Ita sane Anconitana civitas martyrio illu-

strata est Peregrini, Herculani et Flaviani, itemque Laurentiae et Palatiae virginum; quarum alteri plures in picena regione civitates templa voverunt. Patrium auxere decus Sanctus Constantius, cuius res gestas Sanctus Gregorius Magnus scripto celebravit, atque Sanctus Marcellinus, quem idem Summus Pontifex commemorat. Similiter Sanctus Beneventus, Auximanae Ecclesiae Episcopus et patronus, atque Beati Gabriel Ferretti, Hieronymus Ginelli, Augustinus Trionfi, qui divo Thomae Aquinati in tradendis sacris disciplinis in Parisiensi Universitate successit, scientiae non minus quam sanctitatis laude insignes, suam patriam nobilitarunt.

Accedit liberalium artium doctrinaeque studiis iamdiu quaesita nobilitas, quam satis testantur tum lectissimorum artificum opera, tum aedes sacrae non paucae, Cathedrale imprimis templum, Martyri Laurentio olim dicatum, nunc vero urbis patrono Episcopo et Martyri Cyriaco, postquam sacrae huius exuviae, quae adhuc incorruptae perseverant, in ipsum translatae sunt. Huius templi frons, gothico stilo composita, et ampla testudo insignia sunt artis architectonicae monumenta. Quod vero praecipuum est, illuc fideles non solum ex finitimis, sed ex dissitis etiam regionibus frequentes commeant, imaginem veneraturi Deiparae sub titulo Reginae omnium Sanctorum, quam, inter alia signa patrata, oculos movisse indubia probant documenta, quamque gloriosus Pontifex Pius VII, Savona, ubi captivus fuerat, rediens, suis manibus corona donavit.

Eiusdem templi dignitatem augent Sanctorum corpora quae in eo condita sunt, atque innumerae, quae in eo venerationem habent, reliquiae. Sane, praeter Sancti Cyriaci corpus,

quod sub ara maiori conditum est, in eo servantur corpora SS. Marcellini, Liberii, atque Sanctarum Virginum Laurentiae et Palatiae. Inter sacras vero reliquias, Lanceae extremitas, qua sacratissimum Iesu Christi cor transfixum est, et Sancti Iacobi minoris Apostoli caput memoratu dignae sunt.

Neque silentio est praetereundum, non longe ab urbe Ancona, in agrum Lauretanum, divinitus ex Dalmatia fuisse translatam natalem Virginis domum in qua Verbum Dei caro factum est, atque in oppido Numana, intra ipsius Anconitanae dioecesis fines, Iesu Christi Crucifixi imaginem a Sirolo dictam coli, ad quam undique accurrunt fideles; cui quidem ex Anconitani Senatus consulto magnificentissimum dicatum fuit templum, quodque Crucifixi simulacrum Romae etiam peculiari religione colitur.

Recentiori demum aetate, Anconitanae civitatis et Ecclesiae nomini amplificando, praeter civium incrementa et aucta commercia ac protentos limites ob Humanae dioecesis adnexionem, non parum etiam contulit dignitas ipsa et praestantia eorum, qui ad eandem civitatem regendam delecti fuerunt; ita Sanctus Carolus Borromaeus, qui Anconitanam provinciam uti praefectus rexit, et non pauci Episcopi, qui Cardinalitia dignitate fulserunt. Imo a tribus ferme saeculis, omnes fere Anconitani Episcopi Romanam purpuram adepti sunt.

Cum itaque Canonici Cathedralis Ecclesiae Anconitanae, occasionem nacti quod proxime vicesimus quintus fauste ac feliciter expletur annus, ex quo vir Emus Achilles S. R. E. Presbyter Cardinalis Manara Anconitanam Ecclesiam administrandam suscepit, SSmo D. N. Pio PP. X, iis, quae super

relata sunt, expositis, suo et totius Cleri ac populi Anconitanae dioecesis nomine, supplicaverint ut, habita ratione tum dignitatis Anconitanae Ecclesiae, tum meritorum vigilantissimi et beneficentissimi Pastoris, ad augendam iubilaei episcopalis eius laetitiam, eandem cathedralem Ecclesiam Anconitanam, sine ulla Suffraganeorum designatione vel eius status ac finium immutatione, sed honoris dumtaxat causa, ad dignitatem Sedis Metropolitanae evehere dignaretur, idem SSmus D. N., omnibus mature perpensis, attentis expositis, atque in testimonium praecipuae suae benevolentiae erga eximium Pastorem, de Religione deque Anconitana dioecesi optime meritum, quodque felix sit Deique omnipotentis gloriae benevertat, oblatas preces benigne excipere dignatus est, atque suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, Episcopalem Sedem Anconitanam in Archiepiscopalem, honoris tantum causa, erigendam decrevit in eum, qui sequitur, modum:

1.° Sanctitas Sua, de Apostolicae potestatis plenitudine, Anconitanam Episcopalem Ecclesiam, omnipotenti Deo ad honorem Sancti Cyriaci Episcopi et Martyris dicatam, hactenus et in posterum Apostolicae Sedi immediatae subiectam, ad honorem et dignitatem Sedis Archiepiscopalis sine ulla Suffraganeorum Episcoporum designatione et status ac definitionis dioeceseos immutatione, sed augendae dumtaxat dignitatis causa, ad instar Ecclesiarum Spoletanae et Perusinae erexit ac extulit pro uno deinceps Archiepiscopo Anconitano; ac ut ordo Canonicorum templi maximi, honoris tantum causa, Metropolitanus audiat, perpetuo constituit ac decrevit.

II.° Anconitanis itaque Archiepiscopis pro tempore, post postulationem rite faciendam in Consistorio, eadem Sanctitas Sua usum pallii et crucis ante se praeferendae, ex aliorum Archiepiscoporum more atque ex sacrorum canonum praescripto, intra Anconitanae Archidioecesis fines et non alibi omnino, concessit atque indulsit, omniumque aliorum Archiepiscopalium insignium, privilegiorum, honorum et iurium, quibus aliae Archiepiscopales Ecclesiae per Italiam earumque Praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso seu ex indulto aut privilegio particulari, fruuntur, potiuntur et gaudent.

III.° Voluit pariter Beatitudo Sua ut vir Emus Achilles S. R. E. Presbyter Cardinalis Manara, hactenus Anconitanus Episcopus, in Archiepiscopum nunc constitutus, eandem Anconitanam Archiepiscopalem Ecclesiam eodem iure suo in posterum regat, quo usque in praesens rexit, eumque ab expediendis Apostolicis Litteris sub plumbo vel in forma Brevis pro aucta dignitate exemit et absolvit.

IV.° Ad praemissa autem exequenda, Sanctitas Sua, Apostolica auctoritate, deputandum censuit R. P. D. Ioannem Baptistam Scotti, Auximanae et Cingulanae dioecesis Antistitem, ut ipse per se vel per alium virum Ecclesiastica dignitate insignitum, ab eo subdelegandum, omnia et singula, quae per praesens decretum constituta sunt, solemniter publicet, statuat atque decernat, facta eidem Episcopo, in executorem, ut supra, constituto, vel personae ab eo subdelegatae, potestate definitive pronuntiandi, quacumque appellatione postposita, super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet oritura, iniuncta obligatione ad Sacram

hanc Congregationem Consistorialem mittendi intra tres menses exemplar, authentica forma exaratum, executionis peractae, mandavitque praesens hisce super rebus edi decretum Consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae sub plumbo vel in forma Brevis expeditae fuissent, et decretum ipsum inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis asservari iussit.

Datum Romae, hac die XIV Sept., anno Domini MDCCCCIV.

Pro R. P. D. SECRETARIO
IVLIVS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus*.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

PRAEFECTVRA APOSTOLICA TRANSVAALENSIS IN AFRICA AVSTRALI ERIGITVR IN VICARIATVM APOSTOLICVM

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere, ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Itaque, cum ad Nos relatum fuerit valde expediens fore pro rei catholicae utilitate, si praesens Praefectura Apostolica Transvaalensis in Africa Australi erigeretur in Apostolicum Vicariatum, Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, eandem Praefecturam in Vicariatum erigendam esse censuimus, eo quod, restituta nuper in eadem regione publica tranquillitate, rerum materialium profectus maius exigit operum Missionis incrementum. Quae cum ita sint, motu-proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam Transvaalensem in Africa Australi in Vicariatum Apostolicum Transvaalensem similiter nuncupatum erigimus et constituimus, illique eadem

pristinae Missionis supramemoratae confinia adsignamus. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancelleriae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
DIVIDITVR DIOECESIS PETERBOROVGHENSIS
IN PROVINCIA ECCLESIASTICA KINGSTONIENSI IN CANADA
ATQVE E TERRITORIO INDE SEIVNCTO NOVA DIOECESIS EFFINGITVR
QVAE NOMEN SVMIT SANCTAE MARIAE ORMENSIS

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In sublimi Principis Apostolorum Cathedra, nullis quidem meritis Nostris, divinitus collocati, in omnes, vel longo terrarum marisque intervallo seiunctas, christiani orbis regiones mentis Nostrae oculos convertimus, et quae in catholici nominis incrementum cedant, suprema Nostra auctoritate interposita, exsequi satagimus. Iamvero cum Dioecesis Peterboroughensis, provinciae ecclesiasticae Kingstoniensis in Canada, ex territorii amplitudine pateat, eaque feliciter susceperit incrementa, ut ex eius divisione nova Dioecesis opportune efformari posse videatur; Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quo melius prospiciatur utilitati fidelium in remotiores dioecesis eiusdem Peterboroughensis partes commigrantium, haec, quae infrascripta sunt, decernenda in Domino existimavimus. Nimirum motu-proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae

Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, e Dioecesi Peterboroughensi territorium, ex quo nova dioecesis constabit, seiungimus sequentibus limitibus definiendum. Ad Septentrionem, per lineam Aequatori parallelam, quae inter gradus 50 et 51 lat. Sept. ducta ab arcu meridiano constituente limitem conventionalem orientalem Districtus olim « Keewatin », nunc vulgo Runy River, circa gradum 91 long. occ. a Greenwich et orientem versus protracta, pertingit supra lacum Nipigon ad ita dictam Altitudinem Terrarum, quae dividit aquas fluentes in fretum vulgo James Bay ab aquis fluentibus in magnos lacus, quibus provincia Ontariensis a Statibus Foederatis dividitur; tunc per continuationem eiusdem Altitudinis Terrarum usque dum perveniatur ad Septentrionem lacus Tamagamingue. Ad Orientem, per lineam rectam, quae descendens inter lacum Tamagamingue et lacum Wapoosi et transiens ad Orientem lacus Nipissing pertingit ad flumen Wistiwasing, per limitem inter loca (townships) nuncupata Ferris et Himsworth, et deinde flumen Wistiwasing usque ad lacum Nipissing. Ad meridiem: ab ostio fluminis Wistiwasing per lineam, quae transit per lacum Nipissing et attingit aditum fluminis French, deinde flumen French usque ad sinus Georgian Bay; ab ostio fluminis French per lineam, quae transit per sinus vulgo Georgian Bay et attingit promontorium vulgo Cabots Head, et tunc pertransit lacum Huron et lacum superiorem, ita ut ad Septentrionem relinquat omnes insulas, quae ad Canadense dominium pertinent, quaeque inter fines novae Dioecesis proinde comprehenduntur; quae porro linea perveniat ad ostium fluminis Arrow, ubi dominium Canadense a Statibus Foederatis sepa-

ratur; tandem per limitem inter hos Status et ipsum Canadense dominium usque ad Districtum olim Keewatin, nunc vero vulgo nuncupatum Rainy River. Ad Occidentem; per arcum meridianum, qui constituit limitem orientalem Districtus Rainy River usque ad punctum, in quo initium sumit limes septentrionalis novae Dioecesis, uti supra descriptus. Itaque ex hoc territorio, quod e Dioecesi Peterboroughensi seiungimus, novam Dioecesim similiter per praesentes, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, efformamus, fundamus, cuius Episcopalem Sedem in urbe, quae vulgo nuncupatur « Sault St Marie » provinciae Ontario, constituimus, atque exinde ut *Sanctae Mariae Ormensis* nomen sumat praecipimus. Haec vero mandamus, decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque, plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non ceteris, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ARSENIO PELLEGRINI SODALI BASILIANO
ABBATI COENOBII AD CRYPTAM FERRATAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Novies saecularia appetunt sollenmia, quibus, tua, dilecte fili, aliorumque tecum virorum eximia cura, beatum Nili natalem, monachorum graecorum in Occidente Patris, simulque conditi ab ipso Coenobii istius ortum grata multorum pietas commemorabit. Eam Nos faustitatem, utpote a Romani Pontificatus gloria non alienam, dignam ducimus, quam propensae voluntatis testimonio et commendatione non vulgari ornemus. Id ipsum novimus ab illustri Decessore Nostro factum; qui, quum accepisset huius celebrandae memoriae posita a te esse initia, ac praeeunte Venerabili Fratri Nostro Seraphino Vannutelli, Tusculano tum Episcopo, proprium institutum Consilium curandae rei, datis ad te litteris, magnopere id probavit inceptum, prosperos exitus eosque catholicae unitati salutares precatus. Nemo est qui nesciat Leonis de reconciliandis cum Romana Ecclesia Orientalibus generosa molimina; nec minus patet consideranti, quantum in historia Basiliani Coenobii, si quidem

bono in lumine collocetur, insit ad eam reconciliationem momenti. Etenim quod graecâ disciplinâ monachi, ad Tusculum honesto excepti hospitio, sedes suas fere in gremio Romanae Ecclesiae posuerint, quod longo saeculorum spatio Pontificum Romanorum gratia et beneficiis floruerint, quod proprios ritus, eisdem auctoribus, retinuerint atque adhuc retineant sinceros, ita ut veteris unitatis nobile specimen exhibeant, quid haec luce clarius indicant, nisi Apostolicam Sedem sacris institutis ritibusque Orientalium, nedum parum aequam esse, sed amicam plane; ideoque per ipsam non stare, quominus triste dissidium componatur? Ista quidem, opportune a vobis illustrata, uti Decessori Nostro spem bonam afferebant, ita afferunt Nobis, qui non absimili studio ducimur in hac causa; fore scilicet ut suadeant multos et praeiudicatas opiniones deponere, et sanctam Nobiscum coniunctionem instaurare. Causa sane perdifficilis, sed quae bonis omnibus, qui catholicam unitatem divino munere participant, iure accuranda sit. Quare vobis pro eo, quod in ipsam confertis sollertiae et laboris, cum gratum testamur animum, tum caelestia auxilia, sine quibus manca est omnis contentio, adprecamur. Quorum auspicem, eandemque peculiaris Nostrae benevolentiae testem tibi, dilecte fili ceterisque egregiis viris faustitatis huius celebrandae tecum curatoribus, atque universis tuis sodalibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXI Septemb. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
EVGENIO ARCHIDVCI AVSTRIAE
SVMMO TEVTONICI ORDINIS MAGISTRO

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Libenti omnino voluntate et eo, quo par erat, honore illustres Equites excepimus ex Teutonico Ordine, quos Imperatoria ac Regia Celsitudo Tua ad Nos nuper legandos curavit. Ab iis, Tuo totiusque Ordinis nomine, qui Tuo gaudet magisterio, fidei et obedientiae sensus confirmatos audivimus, quos in Apostolicam Sedem fovistis semper: simul vero duplex est munus oblatum, alterum petrianae stipis ad angustias Nostras levandas, alterum iconicae effigiei tuae, mirae artis operis. Reddere quas mereris gratias, differre diutius nolumus; reddimusque cummaximas. Tibi autem et Ordini Teutonico universo benevolentiam Nostram testamur singularem. Quam ut gratiis suis foecundet Deus, enixe exoramus: atque ideo Apostolicam Benedictionem Celsitudini Tuae I. ac R. singulisque Equitibus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Octobris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
DOMINICO TITVLI SANCTI HONVPHRII IN IANICVLO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SVAMPA
ARCHIEPISCOPO BONONIENSIVM
CETERISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
QVI AD DEDICATIONEM TEMPLI CATHEDRALIS
FVLGINIVM CONVENERVNT

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

E peractis Fulginii solemnibus convolasse vos animo ad Personam Nostram, fuit id et ab amore et a pietate laudabile. Properatum enim obsequium, quod esset in ipsis celebritatum gaudiis conceptum, declaravit perspicue vestram communicandae laetitiae voluntatem: renovata vero coniunctionis cum Apostolica Sede fides non dubitanter aperuit expetivisse vos in iis, quibus per id tempus premebamur, acerbitatum molestiis Supremo Pastori adesse, caussamque sane laetabilem consolandi Patris afferre. Gratiam unicuique vestrum intimo ex animo habemus, eamque non de persoluto tantum observantium sensuum officio, verum de allata etiam Fulginatensi templo adstantiae vestrae claritate. Illustris

vetustate ac religione urbis, cui singularem plane gloriam tam multae monumentorum laudes compararunt, Fulginii decus est publicae edidisse exemplum pietati, e quo haberent omnes unde et avitae colendae fidei et liberalium fovendarum artium argumentum addiscerent. Ei Nos civitati praecipuam testari benevolentiam putavimus, quum Leonis XIII Decessoris Nostri munificentiam honore insigni cumulantes, Tibi, Dilecte Fili Noster, ad dedicationem instaurati templi vicem Nostram credidimus. Rem autem feliciter fausteque evenisse gratulamur Fulginio, gratulamur et Vobis: illi quidem, quod Patrono Principi Feliciano, sacraeque cathedrali aedi dedicandae non alia censuit posse digne decerni solemnia, nisi omni nomine splendida: Vobis vero, quorum collata humane opera patuit Viterbii, Perusiae, Ameriae, Nuceriae, Aculae, Spoleti, Tuderti, Faliscoduni, Signiae, Tiferni Tiberini, Assisii ac Fulginii communem esse in Christo fraternitatem. Haec autem virtus ut Vobis fidelique populo vestro quasi sit praeclari facinoris fructus, Omnipotentem Deum adprecamur, Tibique, Dilecte Fili Noster, Vobisque singulis, Venerabiles Fratres, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Octobris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILES DEI FAMVLI
AGATHANGELVS VENDÔMENSIS ET CASSIANVS NANNETENSIS
IN BEATORVM CAELITVM NVMERVM REFERVNTVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Africam terram triumphis divitem iam veteres terrarum orbis domini appellarunt Romani; sed illa hoc potius fatidico nomine vocari a christiano populo tunc potuit, cum Martyrum purpurata sanguine, a primis humanae Redemptionis annis ad praesens usque aevum, innumeris ac vere in conspectu Dei gloriosis triumphis enituit. Et sane eadem in terra fortissimorum heroum seriem, qui effuso sanguine testimonium Christo reddidere, nulla unquam aetas conclusit, sed fastorum ipsorum tabulas novi semper tituli adaugent. Etenim post primas in Romana provincia Imperatorum persequutiones, post cruentas haereticorum Regum caedes, post crudelissimas Arianorum in Christi asseclas animadversiones, Mauritaniam, Gaetuliam, Numidiam, Aegyptum, Lybiam, et ipsas interioris Africae male cognitas plagas, nova semper atque insignia Christi militum trophaea ornarunt. Has ad regiones, christiani nominis provehendi

studio adducti, divini verbi praecones certatim properarunt, ad gentes immanitate barbaras cultuque efferatas Evangelii lumen allaturi. Non eos caeli inclementia, non itinerum asperitas, non belluarum hominumque silvestrium ferocia, ab incoepto deterruit, nullis difficultatibus, nullis laboribus fracti, saepe doctrinam, quam praedicatione vulgaverant, constanter tolerata morte confirmarunt, proprio videlicet sanguine, quam verbo et sudore severant arborem irrigantes. Certam quisque nacti provinciam, auspice Congregatione Fidei Propagandae praeposita, Religiosi potissimum Ordines spectatos doctrina et sanctimonia viros, sui etiam sanguinis ob salutem proximorum prodigos, ad Sacras in Africam expeditiones designarunt; hosque inter Ordines de causa religionis et humanitatis optime meritos, inclyta etiam Capulatorum Franciscalium familia numeratur. Haec nobilibus floret coronis et palmis alumnorum suorum, quorum effusus cruor iuge semen fuit christianorum; haec in gloriosis Ordinis Martyrum tabulis nomina quoque habet inscripta Venerabilium Dei Famulorum Agathangeli et Cassiani, qui ob Catholicae Fidei testimonium in Aethiopia mortem crudelissimam oppetierunt. Venerabilis Dei Servus Agathangelus, in paterna domo Franciscus Nourry, Vendôme in urbe Galliae ortus est die XXXI mensis Iulii anno MDXCVIII. Eo nondum bilustri, Nanneti prodiit in lucem die XV mensis Ianuarii anno MDCVII, futurus illi in apostolatu et passione socius Consalvus Vaz Lopez Netto, cui postea nomen Cassianus. Uterque claris piissimisque parentibus usi sunt, non ad rem sibi gloriamque amplificandam, sed ad maturanda consilia sanctitatis. Docti ab infantia timere Deum, et ab omni culpa abstinere, late

pervadentis corruptionis esse potuerunt expertes, Tobiaeque similes, « cum irent omnes ad vitulos aureos, ipsi pergebant soli in Hierusalem ad templum Domini ». Quae morum innocentia utrumque disposuit ad perfectioris vitae institutum amplectendum in familia religiosa Capulatorum Franciscalium, qui tunc in Gallia, ut novis erroribus sese opponerent, versabantur. Posthabitis ideo familiae commodis, locique natalis deliciis, in ipso aetatis flore rudes ac pauperes Seraphici Patris lanas induere. Franciscus Agathangeli nomen in religione sortitus, in Coenobio Cenomanensi tyrocinium posuit, dein in Pictaviensi philosophicas, in Rhedonensi theologicas disciplinas magno cum plausu didicit. Consalvus autem Andegavense Coenobium ingressus, Cassiani nomen assumpsit, ac vix e tyrocinio excessit, in Conventu Rhedonensi eodem atque Agathangelus sacrae Theologiae magistro usus est. Hoc in domicilio virtutis aucti Sacerdotio et doctrina, quo pares forent errantium saluti procurandae, sacrarum expeditionum et martyrii desiderio flagrare coeperunt; sed probe noscentes « longum esse iter per praecepta, breve per exempla », uterque recte iudicans, seipsos abundare oportere iis omnibus laudibus, ad quas alios excitarent, virtutum omnium exercitationi ac perfectioni sese penitus, assiduo studio, dediderunt. Gloriosum in conspectu Domini vitae exitum parum abfuit quin praeoccuparet Cassianus, grassante pestis contagio in urbe Rhedonensi; sed non obiit martyr caritatis, qui Fidei martyr erat moriturus. Itaque ut convaluit, in Aegyptum missus est, deinde Cairum, ubi Agathangelum invenit, annum iam ibi commorantem sacrisque illis expeditionibus, ob meritorum praestantiam, praepositum. Inde

simul Aleppum profecti sunt, Syriamque aliasque Orientis regiones uberrimo cum fructu peragrarunt, proposito sibi maxime Coptorum dissidentium reditu ad catholicae fidei unitatem, hisque in negotiis pertractandis, maxime rei sacrae provehendae profuit Cassiani in variis Orientalibus linguis peritia. Post longa eaque asperrima itinera, post ingentes exantlatos pro Christi causa labores, cum rescivissent atrox in Aethiopia flagrare odium in catholicum nomen, eo se contulerunt, incommodis obiecti plurimis, maxime vero « periculis in falsis fratribus ». Nam opera cuiusdam Petri Leonis, lutherani hominis vaferrimi, schismaticus Episcopus Abyssinus, quocum antea Cairi, piis adhortationibus permoto, Venerabiles Dei Servi de Missionibus in Aethiopia habendis coniunctissime egerant, in suspicionem ductus, edictum provocavit, quo catholici viri religiosi comprehenderentur omnes, quicumque in Aethiopiam pedem inferrent. Qua comminatione ipsi nimirum petiti Agathangelus atque Cassianus, perfidiae ignari, vix Dibauriam ingressi, illico vinculis crudelissime obstricti, in carcerem proiiciuntur. Pauli imitatores, etiam in custodia, licet fame, siti ac squallore quasi enecti, tamen schismaticorum ad Romanam fidem conversionem per solidum mensem praedicare non cessant; donec funibus ad quadrupedum caudas, queis satellites insidebant, alligati, longo viae spatio, sub ardenti sole, ad supplicii locum raptantur. Ante vero quam ibi plecterentur, in ius vocati, et coram Aethiopiae imperatore constituti, catholicam fidem publice sunt strenueque professi. Quam liberam confessionem illico poena suffocationis excepit, addito opprobrio nuditatis in conspectu confertissimae turbae, clamoribus ac sibilis

prosequentis ferum spectaculum. Truncis appensi, tortoribus quaeritantibus funes invicti Christi athletae suas, quibus erant cingi soliti, indicarunt. At his, quippe crassioribus, quum cito confici non possent, plebs eos, levitae Stephani beatos aemulos, crepitantium saxorum turbine oppressit, die VII mensis Augusti, anno MDCXXXVIII. Continuo innocentem horum sanguinem de caelo signa sunt prosequuta; ipso martyrii vespere distinctae visae luces ex imis lapidum, quorum sub acervo sepulta corpora iacebant, prodeuntes, seque in unum, veluti ardentis columnae, corpus attollentes; quo viso, plures sunt illico ad catholicam fidem conversi. Paullo post, teterrima auctoris caedis Petri Leonis mors, aliaque plurima prodigia, gloriosi huius triumphi splendorem auxerunt ac famam. His de causis factum est, ut de utriusque religiosi viri martyrio institueretur actio, et canonicae inquisitiones, auctoritate primum Ordinaria, dein Apostolica, fierent. Propterea Apostolicis actis confectis aliisque quaestionibus attento ac sedulo studio perpensis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Sacris tuendis Ritibus praepositis, Nos, per Decretum decimo quinto Kalen. Maias anni vertentis editum, de utriusque Venerabilis Dei Servi Martyrio eiusque causa, necnon de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus constare ediximus. Illud supererat ut DD. FF. NN. eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales rogarentur num, stante, ut superius dictum est, approbatione martyrii et caussae martyrii, pluribus signis ac miraculis a Deo illustrati ac confirmati, tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores eisdem Venerabilibus Dei Famulis decernendos. Quod praestitit dilectus Filius Noster Dominicus

S. R. E. Cardinalis Ferrata, Causae Relator, in generali conventu coram Nobis habito, sexto idus Maias labentis anni; omnesque tum Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, tum qui aderant Patres Consultores, tuto id fieri posse, unanimi consensione, responderunt. Attamen in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem, Dominica prima post Pentecosten huius anni, Ecclesia festum diem Trinitati Augustae sacrante, Eucharistico litato Sacrificio, adstantibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Aloisio Tripepi Sacr. Rit. Congr. Pro-Praefecto et Dominico Ferrata Causae Relatore, necnon R. P. Alexandro Verde Sac. Fidei Promotore, sollemni Decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilium Servorum Dei Agathangeli Vendômensis et Cassiani Nannetensis Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos, moti precibus universi Ordinis Capulatorum Franciscalium, harum Litterarum vi, facultatem facimus, ut Venerabiles Dei Famuli Agathangelus Vendômensis et Cassianus Nannetensis ex Ordine Franciscalium Capulatorum, in odium catholicae religionis nefarie in Aethiopia a schismaticis interfecti, Beati in posterum appellentur, eorumque Corpora et lypsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur, atque Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra Auctoritate concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa singulis annis de communi Martyrum cum Orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebra-

tionem fieri dumtaxat concedimus intra limites Vicariatus Apostolici Abyssiniae, atque in templis omnibus atque oratoriis continentibus conventibus sive monasteriis Ordinis Franciscalium Capuccinorum, ab omnibus Christifidelibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missam attinet, ab omnibus Sacerdotibus tum saecularibus, tum regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus, servato decreto S. R. C. Num. 3862 *Urbis et Orbis,* IX Decembris MDCCCCV. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilium Dei Famulorum Agathangeli et Cassiani in Vicariatu ac templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu Instructionis S. RR. C., diei XVI Decemb. MDCCCCII, de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando; quod quidem statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus, intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non-cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII Octobris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

(L. ✠ S.)

A. CARD. MACCHI

DECRETVM

NVLLIVS SEV SANTAREMSIS ET BELEMENSIS DE PARA
IN BRASILIANA REPVBLICA
NOVAE FINIVM DESIGNATIONIS

Decreto consistoriali, cuius initium « Romani Pontifices », die XXI Septembris anno elapso edito, praevia dismembratione perampli territorii in parte septemtrionali Brasilianae Reipublicae, prope trium Guianarum Gallicae, Hollandicae et Anglicae fines, siti, e dioecesi Belemensi de Para, ad quam pertinebat, nova ex eodem condita est Praelatura Nullius seu Santaremsis, cuius fines ita constituti sunt: ad meridiem flumen quod Amazonas vocant, qua ex parte ad orientem vergit usque ad Aequatorem, adiectis insuper civitate Santaremsi citra flumen posita, insulisque Caivana et Mexiana; ad Ortum, linea aequatorialis iuxta Oceani Atlantici oras usque ad Orangicum seu Sancti Vincentii promontorium, seclusa tamen ea territorii parte, quae circa idem promontorium Gallicae Reipublicae subiacet; ad Boream, flumen Oyapoc seu Vicente Pinzon dictum usque ad montes Acaray, iuxta fines, qui Brasilianam Rempublicam a tribus supramemoratis Guianis separant; ad Occasum, flumen Iamunda usque dum in Amazonas influit. Ipsa vero in executione decreti erectionis compertum statim est descriptos fines minus apte adsignatos fuisse iuxta locorum fideliumque necessi-

tates, atque ad iis occurrendum opus esse, ut constituti fines latius protraherentur, et novae erectae Praelaturae territorium magis amplum adiudicaretur; cumque in rem R. P. D. Franciscus do Rego Maia, cathedralis Ecclesiae Belemensis de Para Episcopus, assensum suum praestitisset et Apostolicae Sedi supplicasset, ut occasione novae circumscriptionis Praelaturae Nullius seu Santaremsis, fines etiam dioecesis Belemensis de Para, Apostolica auctoritate, exactius describerentur, totius negotii accurata relatio SSmo Domino Nostro Pio PP. X facta est.

Sanctitas Sua, rebus omnibus mature perpensis, atque rei sacrae procurationi spiritualique animarum saluti meliori, qua fieri potest, ratione consulere cupiens, attento consensu Antistitis Belemensis de Para, nec non utendo facultate in Apostolicis Litteris, quarum initium « Ad Universas Orbis Ecclesias », die 27 Aprilis anno Domini 1892 datis, Apostolicae Sedi reservata, novas circumscriptiones in dioecesibus Brasilianae Reipublicae, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, libere peragendi, quandocumque id in Domino expedire visum fuisset, atque suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, Santaremsem Praelaturam, suppressis iis, qui supra descripti sunt, novis finibus, definiendam censuit in eum, qui sequitur, modum:

Ad Boream, noviter erectae Praelaturae Nullius seu Santaremsis fines iidem erunt ac illi qui Brasilianam Rempublicam a tribus Guianis Gallica, Hollandica et Anglica dividunt, flumen nempe Oyapoc, seu, uti aiunt, Vicente Pinzon usque ad montes Acaray; ad Ortum, Oceanus Atlanticus,

comprehensis tamen insulis Caviana et Mexiana usque ad ora fluminis, cui nomen Xingù; idem deinde flumen usque ad locum « Pedra Secca » dictum; ad Meridiem, nova Praelatura linea continebitur, quae a loco « Pedra Secca » per dictum flumen Xingù usque ad fluminis Sancti Emmanuelis ora, vulgo « tres Bocas », in loco sita qui « Sete Quedas » nuncupatur, protenditur; ad Occasum tandem, incipiendo ab oris fluminis Sancti Emmanuelis, vulgo « tres Bocas » dictis, circumscribetur hoc flumine usque ad aliud Tapaioz vocatum, ad oppidum usque « Mandurucú » et fines politicos et civiles, quibus regiones de Gram Para et Amazonum ad invicem separantur.

Cum totum hoc territorium, Praelaturae Nullius seu Santaremsi adiudicatum, e dioecesi Belemensi de Para fuerit integre distractum, huius dioecesis amplitudo necessario imminuetur. Cathedralis itaque Ecclesia Belemensis de Para in posterum iis, qui sequuntur limitibus, constricta erit: ad Boream, Oceanus Atlanticus eius finis erit, ita tamen ut exceptis insulis Caviana et Mexiana, quae territorio Praelaturae Nullius seu Santaremsis attributa sunt, reliquae omnes inter locum Macapá dictum et ora fluminis Xingú existentes Belemensi de Para dioecesi addictae remaneant; ad Ortum, eadem dioecesis fluminibus Gurupy et Araguaya vulgo nuncupatis, quibus regio de Gram Para e regionibus Sancti Ludovici de Maranlião et Goyasensi dividitur, circumscribitur; ad Austrum vero, continebitur linea, quae, ab insula Bananal dicta fluminis Araguaya prosiliens, ad locum usque « Pedra Secca » vocatum prope Xingú flumen pertingit; denique ad Occasum, qua parte dioecesis Belemensis de Para neoërectam

Santaremsem Praelaturam attingit, ipsa a praedicto loco « Pedra Secca » usque ad Oceanum Atlanticum flumine Xingú limitabitur.

Documenta vero respicientia personas et loca Santaremsi Praelaturae attributa et a territorio dioecesis Belemensis de Para separata, ab huius archivo extrahenda erunt, ut in posterum in tabulario Praelaturae supradictae serventur.

Ad praemissa autem exequenda, Beatitudo Sua deputare dignata est R. P. D. Iulium Tonti, Archiepiscopum Tit. Ancyranum et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam; nec non definitive pronuntiandi super quacumque difficultate aut oppositione super praemissis quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad Sacram hanc Congregationem mittendi exemplar, authentica forma exaratum, executionis peractae, mandavitque praesens hisce super rebus edi decretum consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae sub plumbo vel in forma Brevis expeditae fuissent, et decretum ipsum referri inter acta Sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die XXV Octobris, anno Dñi MDCCCCIV.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus*.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILES SERVI DEI
MARCVS CRISINVS, STEPHANVS PONGRACZIVS
ET MELCHIOR GRODECZIVS
BEATORVM NOMINE DECORANTVR.

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

De fortissimis Hieromartyribus verba facturis, obversantur Nobis animo quae olim Paulus et Timotheus conscripsere Philippensibus suis « Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eo credatis, sed ut etiam pro eo patiamini ». Quod quidem beneficium largitus est Deus tribus lectissimis viris, qui sunt Marcus Stephanus Crisinus Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis Canonicus, Stephanus Pongraczius et Melchior Grodeczius e Societate Iesu, quorum res praeclare gestas et effusam pro Christo vitam commemorandas suscipimus, ne desint catholicis viris in hisce adversis Ecclesiae temporibus inclyta fidei et fortitudinis exempla, quae possint, si res postulet, imitari. Marcus Stephanus Crisinus, Crisii natus est in Croatia, nobili genere, qui partum a maioribus decus, suarum virtutum laude, provexit. De prima eius pueritia id constat, ex toto corporis

habitu egregiam animi indolem emicuisse. Illud quoque memoriae proditum, eum, vix trimum puellulum, mirifico amore prosequutum fuisse caelestem matrem Mariam, eamque deinceps semper in trepidis rebus ac praecipue in crudelissimae mortis agone confidenter invocasse. Paulo grandior factus et in Collegium Ferdinandaeum adscitus, quae a parentibus virtutum documenta exceperat, moribus ad modestiam compositis, constanter expressit, et in Congregationem Marianam protinus adscriptus, nova et eximia in Beatam Virginem pietatis exempla dedit. Specimen etiam sane optimum ingenii praebuit in scholis, ubi, sedulitate et industria, aequalibus praeluxit; adeo ut in philosophia et physica magister fuerit renunciatus. Cum vero se divino quodam instinctu ad sacerdotium sentiret impelli, re cum sapientibus viris communicata, de pientissimorum parentum consensu, clericalem habitum induit ac theologicis studiis proludere coepit. Quod, ut animadvertit pater Gregorius Rumer Societatis Iesu, cum nec pauca neque exigua de eo polliceri posse speraret, egit ut in Almam Urbem, in Collegio Germanico-Hungarico, alendus mitteretur, studiorum curriculum, tam bene in patria institutum, confecturus. Romam igitur venit et in Collegium receptus est annos natus duo et viginti. In praenobili hac virtutis et doctrinae palaestra optimi cuiusque brevi non imitator solum, sed aemulator evasit. Absoluto theologiae curriculo et iam sacerdotio initiatus, prae ceteris aptus iudicatus est, qui universam theologiam publica et solemni disputatione defenderet. Inde in patriam reversus, omnia Apostolici viri munia exercere coepit, idque eo successu, ut eius fama per omnem circa regionem vulgaretur; qua permotus cele-

berrimus ille Strigoniae Archiepiscopus et Hungariae Primas Petrus Pazmany, eum in suam dioecesim accivit, quo ad omne sacri officii munus uteretur, praesertim contra Lutheri et Calvini errores, qui, eo tempore, longe lateque per Hungariam grassabantur. Nec multo post inter Canonicos Metropolitanae Ecclesiae cooptatus et Archidiaconatu Comoromiensi auctus est; indeque a Canonicis Szeplacensis Abbatiae administrandae, quae prope Cassoviam est, provinciam suscepit. Id non sine Dei numine factum est, qui ibidem martyrii palma servum suum donare decreverat, et socium addere duobus aliis fortissimis viris e Societate Iesu, qui Cassoviae et in viciniis per id tempus in catholicis confirmandis et haereticis reducendis insudabant. Horum alter fuit Stephanus Pongraczius. Is, ortus anno MDLXXXII e gente inter Hungaros satis illustri, ac piissima in domo educatus atque in litteris excultus, ubi adolevit, se ad Societatem Iesu ineundam vocari sensit, eo etiam tum animo, ut patriae, ab Lutheri et Calvini placitis infectae et civilibus turbis exagitatae, in subsidium veniret. Et sane in Societatem admissus, et absolutis multa cum laude philosophiae ac theologiae studiis, anno MDCXV missus est Homonnam, in Hungaria superiori, ut sacris expeditionibus intentus, catholicos in fide ac pietate confirmaret et haereticos vel ad catholicae religionis gremium reduceret, vel in suis erroribus pervicaces confunderet. Quod munus, satis profecto arduum, flagranti zelo, nec tamen minori prudentia, quatuor circiter annos executus est, Cassoviae praesertim, quo ab Andrea Doczy, regio gubernatore, vocatus, in ipsa regia domo una cum Melchiore Grodecz receptus, rem catholicam sustentabat. Consuetudine

cum Marco Crisino inita, quem saepe hospitem habuit, sub festum Sancti Patris Ignatii, anno MDCXIX, cum eodem Homonnam secessit, ut sacris exercitationibus animum excolerent ac novas vires ad pugnandum pro Christo sumerent: quod non sine Dei consilio factum est, qui eos ita ad capitale praelium parabat, quod brevi erat subeundum. Tertius accedit ad hos duos pater Melchior Grodeczius. Eum, in Silesia ortum et in Societate Iesu variis muneribus perfunctum, Andreas Doczius Cassoviam acciverat, ut milites, quos in praesidium habebat, excoleret. Quo in Apostolico ministerio memoriae proditum est eum simili charismate donatum fuisse, quo olim Apostoli et ipse Franciscus Xaverius ditati fuerunt: nam sive bohemice sive germanice loqueretur, ab utriusque gentis hominibus aeque intelligebatur. Dum hi tres Christi pugiles sacris ministeriis impense vacant, accidit ut Georgius Racoczy Cassovia potiretur nomine Gabrielis Bethlenii, qui, Turcarum auxilio fretus et ab haereticis Bohemiae et Hungariae accitus, cum magno exercitu regionem invaserat, ut eam Imperatoris auctoritati subtraheret, sibique et suis addiceret. Racoczyus illico iussit tres catholicos sacerdotes domi a militibus custodiri et, coacto civitatis consilio, de eorum caede decretum est. Igitur, post mediam noctem inter diem sextam et septimam mensis septembris anno MDCXIX, immissi carnifices primo occurrentem Pongraczium clavae ferreae ictu prosternunt: dein omnes tres pugnis, calcibus, colaphis ac probrosis etiam vulneribus, Iesu et Mariae nomina ingeminantes, caedunt. Crisinus oblatam sibi, Racoczyi nomine, salutis spem, si a fide catholica desciseeret, constanter reiecit. Tunc vestibus exutos ac laquearis trabibus suspensos arden-

tibus facibus ustulant, donec, detectis costulis, viscera diffluerent. Demum, adventante iam die, demissos a trabibus Crisinum et Grodeczium capite obtruncant, Pongraczium acinace in capite bis percutiunt et, uti iam mortuum, in latrinam, una cum aliorum corporibus, detrudunt. Verum hic spirabat adhuc, nec nisi post viginti et amplius horas, vulneribus et foetore confectus, Mariae et Iesu nomina ingeminans, illucescente die octava septembris, ad caelestem coronam evolavit. Huius tam atrocis caedis fama per omnes partes perlata, ut contra auctores summam omnium indignationem movit, ita in fortissimorum virorum gloriam cessit. Quorum corpora, paucos post menses, a pientissima femina Comitissa Pallfy a Bethleno dono accepta, honestiori loco, primum in quodam sacello, dein prope sacrarium ecclesiae sororum a S. Ursula Tirnaviae condita sunt, ubi pluribus signis a Deo sunt illustrata. Nec multos post annos, ab ipso Cardinali Pazmanyo, Archiepiscopo Strigoniensi, iuridica inquisitio de Martyrio, fama Martyrii et signis est instituta et Romam ad Urbanum VIII Pontificem missa. At, propter adversas rerum vicissitudines, causa haec diu fuit interrupta, et nonnisi medio saeculo decimonono resumpta est, quum, auctoritate Apostolica, novae iuridicae inquisitiones Strigonii peractae sunt. His Romam missis, et validis in Congregatione Rotali recognitis, a Decessore nostro Leone PP. XIII particularis Congregatio est instituta ad cognoscendum de Martyrio, causa Martyrii et signis horum trium fortissimorum Christi Militum; atque omnibus probationibus accurate perpensis, Nos, per decreta lata VIII idus ianuarias hoc ineunte anno MCMIV, de Martyrio eiusque causa et signis Martyrium confirmantibus constare

ediximus. Reliquum erat ut inquireretur utrum Caelitum Beatorum honores tuto praedictis Martyribus decerni possent. Mox in conventu universo habito coram Nobis VII kalendas Martias vertentis anni, cum dilectus filius noster Andreas S. R. E. Cardinalis Steinhuber, causae Relator, dubium proposuisset an, stante approbatione Martyrii et causae Martyrii, signis et miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi posset ad solemnem horum Venerabilium Servorum Dei Beatificationem, tum Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi, tum omnes, qui aderant, Consultores, unanimi consensu, « tuto id fieri posse » responderunt. Nos vero in re tam gravis momenti distulimus iudicium in alium diem. Dominica prima Quadragesimae, idest decimo kalendas martias volventis huius anni MCMIV, adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi, Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Praefecto, ac praedicto Andrea Steinhuber, causae Relatore, necnon Rev. P. Alexandro Verde, S. Fidei Promotore, suprema Nostra Apostolica auctoritate decrevimus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilium Servorum Dei Marci Crisini, Stephani Pongraczii et Melchioris Grodeczii Beatificationem. Quae cum ita sint, moti precibus universae Societatis Iesu, auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi, facultatem facimus ut Servi Dei Marcus Crisinus, croata, Canonicus Strigoniensis, Stephanus Pongraczius, hungarus, et Melchior Grodeczius, silesius, e Societate Iesu, Beatorum nomine in posterum nuncupentur, eorumque corpora et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi fidelium proponantur et imagines radiis decorentur. Dein eadem Nostra auctoritate concedimus ut

de iis quotannis recitetur Officium et Missa de communi plurimorum Martyrum cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Brevarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus in dioecesibus Strigoniensi et Cassoviensi, et in omnibus Ecclesiis et Oratoriis, quibus utitur Societas Iesu, ab omnibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et, quoad Missam attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato decreto S. Rituum Congregationis N. 3862 Urbis et Orbis, IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis supradictorum Servorum Dei in supradictis Dioecesibus et templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis, diei XVI Decembris MCMII, de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando; quod statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I Novembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILIS DEI SERVVS STEPHANVS BELLESINI
BEATI NOMINE NVNCVPANDVS DECERNITVR.

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Quae verba evangelicus ille dominus peregre proficiscens loquutus erat servo bono et fideli, qui totidem, atque acceperat, talenta superlucratus erat, eadem ipsa, iure meritoque, attribui possunt Stephano Bellesini, Parocho Genestano, cuius singulares virtutes resque praeclare gestas hodierno die commemorandas suscipimus. Quod quidem Nos eo libentius facimus, quo magis opportunum et salutare scimus proponi exemplar non solum quibusque Parochis, sed etiam omnibus Sacerdotibus in religiosas familias cooptatis, qui in Bellesini vita et moribus habent non pauca, quae facile possint imitari. Neque enim de homine agitur claritate generis vel honorum amplitudine, vel ingenii doctrinaeque laudibus commendabili; sed de eo res est, qui communem in coenobiis,

aut in parochiali aede vitam perpetuo traduxit, de homine simplici, non de alio studio sollicito nisi pauperum iuvandorum, deque aeterna proximorum salute flagrante. Atqui talis vir extitit omnibus numeris absoluta perfectaque virtute; tanta in pauperes caritate est inflammatus, tam constanti patientique animo adversae valetudinis molestias pertulit, ut vere ille apparuit « spectaculum factus mundo et angelis et hominibus ». Tridenti, in oppido ob oecumenicum concilium celeberrimo, honestum iam ab avis et proavis locum obtinuit gens Bellesini, quae partum a maioribus decus studuit semper non tam amplitudine bonorum, quam pietatis laude retinere. Ex hac gente, exeunte anno MDCCLXXIV, post duos fratres et unicam sororem, quartus natus est Aloisius, Iosephus, Ioachimus, qui postea, in solemni votorum nuncupatione, in alterum nomen Stephanum haec nomina commutavit. Iosephus pater non ille quidem in florente fortuna, publici Tabellarii munus Tridenti in patria nitide exercuit. Mater pari genere Maria Ursula Meinchembek e suburbio Valsugana: ambo filiorum diligentissimi, qui facile nollent ab optima natura seiungi disciplinam. De prima Aloisii pueritia id constat, nihil unquam pueriliter fecisse: nugas enim ineptiasque, quibus illa aetas plerumque maxime delectari solet, fastidivit, et, supra aetatem, saepius iam tum opportune quaerebat sanctum aliquod exemplar, quod sibi ad imitandum proponeret. Parentibus ita esse obsequens, ut ex eorum nutu omnino penderet; periculosis coetibus et ludis abstinere; templorum cultor frequens, sacris adstare concionibus; pias preces flexis genibus fundere, ad modestiam sic compositus, ut fratribus suis et aequalibus exemplo esset. Quamobrem non mirum est, si

Tridentinus Curio, rogata prius optimae genitricis sententia, Aloisium peridoneum iudicaverit, qui etiamsi aetate minor esset quam frater, cum eo tamen ad sacram Synaxim accederet. Quo facto, incredibile fere est, quam inflammato studio sese ad omnia pietatis opera contulerit, quantaque contentione animo virtutibus excolendo se dederit. Quare factum est ut Aloisium hunc prout alterum Aloisium Gonzaga populares sui susciperent et praedicarent, multaque et magna ex iis, quae tunc apparebant, praeludiis, futurae sanctitatis vatinacirentur. Neque eorum spem fefellit eventus. Vix enim e pueris excesserat steteratque illi annus sextus supra decimum, cum Dei quodam instinctu ad claustralem vitam sese sensit impelli. Erat eo tempore Tridenti coenobium quoddam S. Marci dictum, Ordinis Eremitani S. Augustini, cui praeerat vir non communis prudentiae et sanctitatis, Fulgentius de Meinchembek, germanus Mariae Ursulae matris Aloisii. Qui quidem in re tam gravi tantique momenti, ne temere quicquam aut inconsulto faceret, mentem suam cum matre communicavit. Haec autem, nulla interposita mora, percontatum ivit fratrem, remque omnem exposuit et sententiam eius rogavit. Homo prudens et conscientiae nepotis non ignarus, post aliquod temporis spatium, concepta a nepote suo vota a Deo esse clare perspiciens, eundem in sancto proposito confirmavit, utque adhuc ignari genitoris assensum Aloisius consequeretur, ad parochum adiit, exoravitque ab eo ne gravaretur, Iosephi patris, apud quem ipse erat admodum gratiosus, animum flectere, et patri filium conciliare. Pater qui piissimus erat, et divinae voluntatis observantissimus, nuntio audito, primum obstupuit novitate, postea in memo-

riam revocans anteactam Aloisii vitam et singularem pietatem, non solum exoptatum assensum dedit et reclamitantis naturae voces oppressit, sed acquievit omnino voluntati Dei et, prae gaudio lacrymans, gratias egit, quod ex familiola sua Deus hostiam optavisset. Post aliquot dies, avunculus ipse, cum Bononiam proficisceretur, Aloisium, recentem Eremitam iam tunica indutum, in Bononiae coenobium S. Iacobi Maioris secum adduxit, ubi ille tirocinium posuit alacritate tanta, quanta deinceps eius sanctitas declaravit. Nam eremitanae vitae studio, orationis amore, sui ipsius neglectu et abnegatione, agendi diligentia, obediendi celeritate, morum denique gravitate, candore, suavitate tirunculus ille, tamquam veteranus miles, ceteris omnibus praestitit. Exacto autem probationis anno, cum iam ita esset probatus, ut bene sperare de eo et confidere omnes praepositi possent, ad solemnem votorum nuncupationem Aloisium, cunctis suffragiis, admittendum decreverunt. Recens eremita Stephanus, philosophicis studiis operam daturus, Romam missus est. Quum animum suum ditare studiis sacris, unde magnam sibi obventuram sperabat utilitatem proximis iuvandis, statuisset, tanto incubuit fervore, ut, magna cum laude, Prodefendentis honorem adeptus sit. Res ita se habebant cursumque suum Stephanus tam bene initum conficere statuerat, cum repente exorta est foeda illa atque atrox tempestas, quae Europam fere totam iactare et pene absorbere visa est. Non solum enim in legitima imperia, sed in Romanum etiam Principatum, in ipsum Summum Pontificem Pium VI, qui per magnum dedecus exulatum abiit, saevitum est. Inter iniqua scita et nefaria privilegia, quae nefastis illis diebus lata et

promulgata sunt, prodiit illud etiam, ut quisque vir religiosus peregre consistens, terram repeteret natalem. Quapropter Stephanus, emensus Theologiae curriculum in coenobio Bononiensi, nondum Sacerdotio initiatus, in patriam remigrare coactus est, et ad coenobium S. Marci rediit invitus. Illud etiam inauspicatum obtigit atque inopportunum, ut, ad sacram ordinationem suscipiendam quum a loci Ordinario admitteretur, gravi correptus morbo domi suae cubaret. Verum, cum par esset in Stephano atque in Superioribus desiderium sacerdotii, vix a lectulo excitatus, non dum firmata valetudine in Cathedralem invectus lectica est, et Sacerdos evasit. Sacris sic admotus, apud se reputans non amplius se esse sui iuris, sed divinae maiestati perpetuo nexu obligatum, enitendum esse sibi vigilantius intellexit, ut aeterna proximorum salus et Dei gloria in maius proveheretur. At vero, cum ad vitam recte instituendam plus intelligeret sacerdotum mores, quam mera praecepta valere, sanctoque exemplo populum multo plus quam verbo tribuere, ita se impertire studuit, ut intuentium animos, vel externo corporis habitu, ad modestiam alliceret, provocaret. Saeviente interea procella, Stephanus, de sempiterna proximorum salute nullo non tempore sollicitus, contra novos ludos litterarios, qui Normales vocabantur, domi suae, magno animi ardore et ingenti caritate, proprio sumptu et industria regendas nonnullas scholas aperuit, in quibus pueri puellaeque, tenuioris nominatim plebis, ad prima litteraturae elementa et ad christianae praecepta doctrinae erudirentur, remissa impensa. Quam quidem provinciam satis arduam et duram, quam ille ob eximium iuvandorum animorum studium et fervorem, in

divina confidens providentia, ceperat, quadriennium totum tenuit et invicta constantia sustentavit. In illas omne peculium, licet tenue, omne suum minerval, omnem suam, quam ex aere publico recipiebat, exiguam pensionem, et quidquid a suis, vel propinquis, vel amicis, vel liberalibus suis popularibus stipis corrogabat, libenter impendebat. Non semel, in gravi annonae caritate, sanctus vir visus est cum famulo, panibus onusto, scholas circumire, et egentioribus discipulis, propriis manibus, dispensare panem, verba adiiciens, quae caritatem ornant. Tandem tranquillatis Europae rebus, Pio VII Pontifice Maximo, Stephanus, cuius singulares virtutes eum apud Superiores iam claraverant, Romam arcessitus est et Tironum Collegio, quod tunc in Generalitio S. Augustini de Urbe coenobio erat, regundo, plaudentibus Eremitis omnibus, praeficitur. Ibi, in huiusmodi prudentiae et vigilantiae officio, velut speculum religiosae vitae praelucidum, in quo Ordinis candidati inspicerent, se impertivit, omnesque in eo admirati sunt patris benignitatem, fratris familiaritatem, servi officia, amici consilia, angeli consolationem omniumque virtutum compendium. Quintum post annum, ex quo Stephanus, tanto suae vitae splendore et magno eorum, quibus praeerat, emolumento, munus suae fidei commissum integre explebat naviterque, accidit ut Tirocinii Collegium ex illo Coenobio auferretur et institueretur in alio Umbriae Coenobio, apud Civitatem Plebis. Ibi, dum, more modoque solito, omnes explebat delati muneris partes, non sine magna sua tironumque utilitate, factum est Dei providentis consilio, ut, ob sublimioris etiam vitae et perfectionis amorem, incenderet hominem desiderium absolutae vitae

communis, prout ea quae proxima erat et quasi compendiaria a S. P. Augustino in Eremitana regula praescripta. Pari desiderio non solum tirones suos inflammavit, sed, ut eadem in aliquo Ordinis Coenobio, ubi exerceri posset, instauraretur, suppliciter Deo preces effundere una cum iis non cessavit. Occurrit benigne Deus in precibus eorum, et quod poscebant exaudivit et largitus est. Nam per id tempus, Leone XII Pont. Max., prope celebre Sanctuarium Genestanum B. Mariae Virginis a Bono Consilio cum continens coenobium Eremitarum S. Augustini reficeretur, Moderator summus eiusdem Ordinis Iosephus Maria Mistretta eiusmodi vitam restituendam curavit anno MDCCLXVI. Postquam inibi in hoc ipso ministerio aliud quadriennium exegerat, sacrario illius Genestani B. Mariae Virginis a Bono Consilio delubri dirigendo a Superioribus est applicitus et cum, paucos post menses, parochialis eiusdem templi Curia ob mortem parochi vacasset, Stephanus curio creatus est, approbante Praenestino Episcopo et eum confirmante. Tum quidem ampliorem atque uberiorem campum nactus est ubi eius industria magis elaboraret, et ubi pietas eius et ingens animarum studium elucerent. Ac proinde nullum sane est onus, quod Dei causa sibi recens Parochus non suspiciendum existimet, nullum sacri muneris officium, quod ille non naviter exequatur. Propterea de Catholicae fidei veritatibus crebras ad populum habere conciones, poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta, quibus nihil est humano generi salutarius, ministrare, visere domum aegrotos; etsi magno saepe sui incommodo aut periculo; solari miseros, calamitosos opitulari, eosque consilio, opera aut re, prout poterat, adiuvare. Facultatum atque opum

in tuitionem sui tantum addixit, quantum superfuit egenorum. At ubi caritas Stephani maxime elucebat, erat in cura infirmorum: ubicumque enim audivisset homines aegrotare gravius, praesertim pauperes, celer, etiamsi gravi hernia laboraret, illuc Stephanus advolabat subsidium, miseris duplicaturus solator corporum et animorum. Magna quidem haec omnia, quae Stephanus pro insigni suo divinae gloriae studio et singulari in proximum caritate patrabat; non tamen nova sunt neque inusitata. Director enim scholarum in Patria et Magister tironum in claustris, semper dederat praeclarae huius virtutis testimonia, ita ut de eo dici possit quod de Xaverio dictum fuit « quasi sidus matutinum praecipue resplenduerat caritas ». Sed Deus voluit ut ille huius praeclarissimae virtutis praemium ferret et caritatis victima occumberet. Nam, anno MDCCCXL, saeviente epidemia ataxicae febris, dum cum aliis confratribus ad chorum accedit, ita aliquibus saxis in medio prostantibus pedem inscius offendit. Procubuit et vulnus non leve, tibia infracta, suscepit. Cum tamen nonnullos infirmos pauperes visum ivisset, ipse, hernia laborans et vulnere, ataxicum morbum facile contraxit. Quare, paucos post dies, compos mentis suae, die festo Purificationis, hora, quam ipse praedixerat, placidissimo exitu animam efflavit. Magna cum iam esset virtutum eius commendatio, tum post eius obitum aucta magis est ac latius diffusa. Quapropter sub Leone XIII, Decessore Nostro, absolutis omnibus, quae in huiusmodi iudicio erant necessaria, in Congregatione Cardinalium sacris ritibus praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus, quibus Venerabilis Stephanus Bellesini, Ordinis Eremitarum S. Augustini,

Parochus in oppido Genestano, inclaruit, easque de eiusdem Congregationis assensu heroicum attigisse culmen ipse Leo PP. XIII declaravit pridie Idus Maias anni MDCCCXCVI. Postea quaestio agitata est de miraculis, quae, Venerabili Stephano Bellesini deprecante, a Deo patrata ferebantur, rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis, duo miracula vera et explorata sunt habita: ideoque Nos, de utroque miraculo diligenti inquisitione instituta, confectis Apostolicis tabulis, decretum edidimus octavo kalen. Iulias anno MCMIV de eorundem miraculorum veritate atque ad ulteriora procedi concessimus. Illud supererat ut dictae Congregationis Cardinales rogarentur num tuto procedi censerent ad Beatorum honores Venerabili Stephano Bellesini decernendos, et in generali conventu coram Nobis habito septimo kalen. Augustas vertentis anni, tum ii, cum omnes, qui aderant, Consultores unanimi consensu, tuto id fieri posse responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quo facto, tandem decimo octavo kalend. Septembris huius anni, accito Dilecto filio Nostro Aloisio S. R. E. Card. Tripepi, S. Rituum Congregationis Pro-Praefecto, loco etiam Venerabilis Fratris Nostri Vincentii S. R. E. Card. Vannutelli, Episcopi Praenestini, Causae Relatoris, nec non Reverendo Domino Alexandro Verde, Praesule S. Fidei Promotore, Eucharistico Sacro per Nos litato, sollemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad sollemnem Venerabilis Dei famuli Stephani Bellesini, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos, precibus permoti universi Ordinis Eremitarum S. Au-

gustini, Auctoritate Nostra Apostolica, ut idem Venerabilis Dei famulus Stephanus Bellesini Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lypsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur, decrevimus. Praeterea, eadem auctoritate, concedimus ut de illo recitetur officium et missa singulis annis de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero officii recitationem missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in Dioecesibus Tridentina et Praenestina, in templisque omnibus et oratoriis Ordinis Eremitarum S. Augustini ab omnibus christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et, quoad missam attinet, ab omnibus sacerdotibus saecularibus et regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato decreto S. Rituum Congregationis N.° 3862 Urbis et Orbis, IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei famuli Stephani Bellesini in templis supra dictis celebrentur ad normam seu instructionem S. Rituum Congregationis, die XVI Decem. MDCCCCII, de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, cum Officio et Missa duplicis maiori ritus, quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinario designando postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supradictae Congregationis

subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce literis ostensis, haberetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I Novembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

L. ✠ S.

A. Card. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO
BENEDICTO DE POMES EQVITI
PRAESIDI CONVENTVS SODALITATVM MARIALIVM
EX HISPANIA ET AMERICA
BARCINONEM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Barcinonem conventuris propemodum ex Hispania et America filiis ad solemnem habendum coetum Sodalitatum Marialium, Noster iucundissime fertur animus non ad expectationem modo, quam positam in eorum consiliis fovemus, aperiendam, sed ad gratulationem quoque significandam. Placet enim praeeuntem coetui, qui Romae proxime cogetur, celebrari istic honori Deiparae Immaculatae congressum, in quo, apud nobiles Hispaniae et Americae gentes, religionis provehantur commoda, Marialium Sodalitatum amplificetur decus, earumque incrementis rerum apte consulatur, quae ad instaurandam christiane vitam et ad popularem catholici nominis actionem commendandam conducant. Nobis certe dubium non est plurimum vos utilitatis ex hac tali congressione laturos; cuius quidem referendi

copiose fructus non solum Nobis spes firma affulget ex propositi consiliique vestri gravitate, aut e vestri sollertia operis, sed ex illibata quoque voluntate ac fide, qua, Ignatii Loiolaei symbolum secuti, maiorem in dies gloriam Supremo Numini quaeritis. Benignissimum propterea Deum eiusque magnam sine labe Matrem, uti studia laboresque coetus fortunent, adprecamur, testemque animi Nostri tibi et omnibus, qui e conventu erunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XI Novemb. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI NOSTRO VINCENTIO CARD. VANNVTELLI
ET DILECTIS FILIIS NOSTRIS
MARIANO CARD. RAMPOLLA DEL TINDARO
DOMINICO CARD. FERRATA
IOSEPHO CALASANCTIO CARD. VIVES
PRAESIDIBVS COETVS CELEBRITATI PVBLICAE DISPONENDAE
OB L ANNVM A DEFINITIONE DOGMATIS
DE IMMACVLATO VIRGINIS CONCEPTV

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER NOSTER ET DILECTI FILII NOSTRI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad omnium instaurationem in Christo multa equidem sunt, quae servari in christiano populo diligentissime, augerique vehementer optamus. In praecipuis autem, quod iam alias professi sumus, pietatem censemus erga augustam semperque Virginem Dei Parentem Mariam. Haec ubi alte in animos radices egerit, nullus erit virtutis ac sanctimoniae fructus, cui ferendo educendoque sit impar. Quod enim de sapientia divina mortalium animos permeante dicitur, id, non iniuria, et de religione in Virginem praedicari assolet: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Hoc Nos proposito ferebamur ac porro ferimur in probando provehendoque

omnibus, quibus liceret, industriis celebritatem communemque catholicorum laetitiam ob quinquagesimum annum feliciter emensum a dogmatica definitione primum edita Immaculati Mariae Virginis Conceptus. Cum vero ad pietatem in Deiparam largius proferendam magnopere, procul dubio, sit collaturus Marianus Coetus, qui Romae propediem cogetur, nolumus opportunitatem praeterire tum laudandi eos omnes, qui Coetui habendo disponendoque naviter adlaborarunt, tum universos hortandi, qui in Coetu aderunt, ut eo maxime spectent, ut *practice* de Mariali religione ubique augenda disputent ac decernant. Nos interim augustam Dei Matrem enixe precamur, quo numine subsidioque suo coetum fortunet. Divinarum autem gratiarum auspicem, Apostolicam Benedictionem cunctis, qui ad coetum venient, effusa dilectione, impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXI Novemb. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE
ELISAE O' BRIEN LVMMIS
SOCIETATIS FILIARVM FIDEI MODERATRICI
NEO-EBORACVM

PIVS PP. X

DILECTA IN CHRISTO FILIA
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae de istius Societatis a te institutae rationibus, deque optimis ex ea perceptis fructibus significasti, Nos quidem cum suavi consolationis sensu cognovimus. Sane non possumus quin valde laetemur, quum videmus probatissimas foeminas, nominatim quae vel gratia, vel facultatibus, vel commendatione nominis plurimum in civitate valeant, consociatas inter se ob eam causam, ut, maxime in suo ipsarum ordine, laus christianorum morum reviviscat integra; easque, pro viribus opibusque suis, obniti contra invalescentem hodie *naturalismum*, qui, deliciarum voluptatumque amorem spirans, mollit atque enervat animos, sensimque officiorum vel sanctissimorum in ipsis catholicis conscientiam delet. De quibus officiis haec praecipue memoramus: prohibere a matrimonio christiano divortiorum labem ac dedecus; institutioni liberorum intra domesticos parietes atque in litte-

rariis ludis recte consulere; illas cohibere convictus humani pestes, probrosam spectaculorum licentiam, librorum obscoenitatem, colloquiorum ac coetuum mollitiem futilem, inverecundam in ornatu cultuque corporis luxuriam. — Itaque quod opus tu, dilecta in Christo Filia, non sine caelesti consilio auspicioque inivisti, quodque, probante dioecesis Antistite, persequuta adhuc es, id ipsum volumus ut posthac, praesidio auctoritatis Nostrae freta, pergas animosior. Simul confidimus fore, ut tuis tuarumque sociarum exemplis excitatae, multo plures inducant animum instituto vestro dare nomen; ac pia ista Societas, te duce, ad alias quoquo dioeceses diffundatur, atque etiam viris catholicis incitamento sit ut, simili pacto inter se coeuntes, ad simile propositum contendant. Interea divinorum munerum auspicem, ac paternae Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecta in Christo Filia, Societati tuae universae, iisque omnibus, qui eandem quoquo modo iuverint, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Novembris, festo S. Caeciliae Virginis Martyris, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

DECRETVM

TRANEN. - BAROLEN. ET SIPONTIN.

DISMEMBRATIONIS ET VNIONIS

Cum R. P. D. Thomas de Stefano, Tranensis et Barolensis metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopus, litteris ad Apostolicam Sedem die 24 Octobris hoc anno datis, exposuerit paroeciam quandam suae Archidioecesis *Zapponeta* dictam, a tercentis fere incolis inhabitatam, atque prope Archiepiscopalis Sipontinae Ecclesiae fines sitam, a Metropolitana Tranensi civitate adeo longe abesse, ut pastorem inter et fideles necessaria commercia, hiemali praesertim tempore, ob viarum asperitatem difficilia admodum evadant; ideoque SSmo D. N. Pio PP. X humiles obtulerit preces, ut eandem paroeciam a sua archidioecesi separare et territorio Archiepiscopalis Ecclesiae Sipontinae, cui proxima est, cuiusque provinciae civilibus in negotiis subest, aggregare vellet; cumque R. P. D. Paschalis Gagliardi, Sipontinus Antistes, se memoratae paroeciae cessionem libenter excepturum declaraverit, idem SSmus Dnus Noster, de omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Consistorialibus rebus expediendis praepositae Substitutum certior factus, omnibus mature perpensis, ac probe noscens propositam paroeciae *Zapponeta* unionem Sipontinae Archidioecesis territorio spi-

rituali animarum saluti perutilem fore, attento Sipontini Praesulis consensu, votis Archiepiscopi metropolitanae Ecclesiae Tranensis et Barolensis benigne annuendum censuit.

De Apostolicae itaque potestatis plenitudine, Sanctitas Sua, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, paroeciam, cui nomen *Zapponeta,* cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus, a territorio Metropolitanae Ecclesiae Tranensis et Barolensis separavit et divisit, eandemque pariter cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus Sipontinae Archidioecesis territorio adiunxit et aggregavit, ita ut in posterum memorata paroecia iurisdictioni Archiepiscopi Sipontini pro tempore sit subiecta, prout hactenus subiecta fuit iurisdictioni Praesulum Ecclesiae metropolitanae Tranensis et Barolensis; cum clausulis opportunis et necessariis, in contrarium facientibns non obstantibus quibuscumque.

Ne quod autem detrimentum ex hac unione fidelibus paroeciae *Zapponeta* obveniat, praecepit eadem Sanctitas Sua, ut documenta omnia, eandem paroeciam eiusque incolas respicentia, ab archivo metropolitanae Ecclesiae Tranensis et Barolensis extrahantur, atque, debita forma, Cancellariae Sipontinae Archidioecesis tradantur, in eiusdem tabulario in posterum servanda.

Ad praemissa demum exequenda, Beatitudo Sua deputandum censuit eundem Tranensem Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam ecclesiastica dignitate insignitam, nec non definitive pronunciandi

super quacumque oppositione in executione peragenda quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra tres menses ad Sacram hanc Congregationem mittendi exemplar, authentica forma exaratum, peractae executionis, iussitque praesens hisce super rebus edi decretum consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae sub plumbo, vel in forma Brevis expeditae fuissent, et decretum ipsum inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis asservari mandavit.

Datum Romae, hac die XXII Novembris, An. Dñi MDCCCCIV.

Pro R. P. D. SECRETARIO
IVLIVS GRAZIOLI, S. Congr. Consistorialis
et Sacri Collegii *Substitutus*.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

ANTONIO MARIAE BERNASCONI

CATHEDRALIS TEMPLI SABINENSIS CANONICO POENITENTIARIO

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nobile profecto munus Nostroque humane dicatum nomini, versatur Nobis ob oculos quartum, quod de Actis Gregorii XVI Decessoris Nostri, emisisti volumen. Recens vero est, mense quippe Novembri superioris anni in id habuisti apud Nos admissionem, ex quo prioribus tribus eiusdem scripti voluminibus laudem Nostram tribuimus. Nunc autem, vix brevi post, corona feliciter totius operis prodit, mirum quanta cum probatione doctorum, eorum in primis, qui historiae sunt dediti. Nam, quae Romanorum Pontificum congesta Bullaria extant, unius Gregorii XVI documenta desiderabant, cui quidem devexata illa nec brevia tempora maximi negotia ponderis iussere credi, non alio certe administranda atque expedienda subsidio, quam eius firmitate prudentiaque animi. Quod si curarum plurimum, annorum spatio duodecim, sollerti tibi industrioque viro haec studia fecerunt, illud liceat ad laetitiam recolere, magnum quidquam aut illustre

aut cum singulari nominis decore sociatum, nisi gravi comitante opera, non perfici. Esse tamen abunde existimamus, unde suscepti memoriam laboris iucunditati vertas et gaudio, si quidem et ob expletam provectamque gestarum rerum historiam, et ob praestitam Apostolicae Sedi operam, et ob comparata carissimae Venetorum Regioni monumenta gloriae domesticae, praeclare meruisti. Praemium vero, illudque ingenio consentaneum alacritatique tuae, non esse a Deo defuturum certo confidimus, a quo meriti de Religione ac de Pontificatu fideles non vacui a mercede aliquando erunt. Nostro interea laetare eodemque publice ad honorem delato testimonio laudis, testemque Nostrae erga te voluntatis, Apostolicam Benedictionem excipias, quam tibi studiisque tuis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Nov. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

DECRETVM

CLAVAREN.

EVECTIONIS AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS

Inter aedes Augustae Dei Genitrici in Liguria dicatas ea sane memoratu digna est quae Clavarii existit Beatae Virgini ab Horto nuncupatae sacra. Ut quaedam de templi huius historia commemoremus, eius initia ad exitum saeculi decimiquinti sunt referenda, ad annum nempe MCCCCXCIII, quo, exitiali morbo Clavarium depopulante, pia quaedam Clavarensis foemina, quae in tam ingenti discrimine B. Virginis opem enixe imploraverat, Eius Imaginem in cuiusdam horti pariete, iuxta publicam viam, pingendam curavit. Pia fidelium erga huiusmodi imaginem religio, anno praesertim MDXXVIII, singulari quadam ratione emicuit. Cum enim, eo anno, lues iterum per urbem grassaretur, id factum est, ut Clavarensis populus ad Deiparae de Horto simulacrum certatim accurreret, atque, altari eidem dicato, benignissimae Matris patrocinium, vehementi pietatis ardore, imploraret. Cum autem fideles, beneficiorum fama permoti, quae Deo, B. Virginis de Horto deprecatione, accepta referebantur, quotidie frequentiores ad Eam pie devoteque accederent, Sacellum in eius honorem conditum est, quod brevi,

novis additis molitionibus, in satis amplum Templum crevit. Precantium votis praesens adfuit Regina caelestis, adeo ut, percrebrescente in dies Deiparae de Horto gloria, Eam anno MDCXLV urbis Clavarii praesides ac finitimorum pagorum magistratus, cunctis plaudentibus, in caelestem civitatis ac totius Clavarensis regionis Praestitem delegerint, atque Vaticanum Capitulum Sacram Imaginem aurea corona donandam decreverit.

Recentiori aetate, Deiparae de Horto templum, novis extructis operibus, ex integro fere renovatum est, ita sane ut, molis magnitudine atque ornatus magnificentia, praecipuis Italiae templis in Dei Genitricis honorem dicatis merito comparari queat. Inter perspicui nominis opifices, qui in sacra Aede suis laboribus nobilitanda certarunt, digni sane qui memorentur sunt Baratta et Pucci, quorum alter presbyterii et absidis cameras, alter vero eas, quae a latere sunt, cellarum pinxit. Frons quoque Templi ab imis fundamentis restituta est eidemque Aedi sacrae, felici molitione, advecta, ex Clavarensium voto, quod anno MDCCCXXXV, B. Mariae Virginis ope, a pestifera lue servati essent incolumes; frons eadem clarissimi Poletti, Architecti Romani, est opus, bis centum et amplius libellarum millibus in id a Clavarensi populo collatis. Templi huius splendori ac magnificentiae aliud etiam aetate hac nostra feliciter accessit, ex quo eiusdem nobilitas ac dignitas quam maxime aucta est. Siquidem, anno MDCCCXCII, B. Mariae Virginis de Horto Templum per litteras Apostolicas, tertio nonas Decembris datas, quarum initium « Romani Pontifices » in Cathedrale noviter erectae dioecesis Clavarensis a Leone f. r. PP. XIII constitutum est.

Neque aetatum decursu Clavarensium civium aliarumque finitimarum civitatum fidelium spectata erga Deiparam de Horto religio deferbuit, quod vel ex eo maxime elucet, quod in sacra ipsa Aede quinquaginta fere fidelium millia quotannis ad sacram Synaxim accedant, et quinque fere Missarum millia in ea celebrentur. Templa insuper non pauca in eiusdem Deiparae de Horto honorem tum in pluribus Italiae civitatibus, tum in America Meridionali, Sanctimonialium opera, quae filiarum B. Mariae Virginis de Horto titulo gloriantur, tum demum in Palaestina erecta sunt.

Cum itaque R. P. D. Fortunatus Vinelli, Clavarensis Episcopus, occasionem nactus quod proxime quinquagesima anniversaria dies feliciter redit, ex quo Immaculata Dei Genitricis Conceptio sollemniter declarata est, iis, quae super relata sunt, expositis, suo et cathedralis Capituli nomine, SSm̃o D. N. Pio PP. X humiles admoverit preces, ut, in memoriam faustissimi eventus, quo universus christianus Orbis laetatur, memoratam Aedem B. Mariae Virgini de Horto sacram, ad cathedralis Templi dignitatem a f. r. Praedecessore evectam, Basilicae Minoris titulo condecorare vellet, idem SSm̃us Dominus Noster, me referente infrascripto Sacrae Congregationis negociis consistorialibus expediendis praepositae Substituto, rebus omnibus matura deliberatione perpensis, attentis expositis, quo Clavarensium pietas erga caelestem eorum Praestitem magis ac magis foveatur, Episcopi Clavarensis votis benigne annuendum censuit.

Quare, quod bonum faustum felixque sit, et Dei gloriae et Beatissimae Eius Matri honori benevertat, Sanctitas Sua omnes et singulos, quibus praesens decretum favet, a qui-

busvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa a iure vel ab homine latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, supradictam Aedem B. Mariae Virgini de Horto Clavarii sacram, de Apostolicae potestatis plenitudine, in Basilicam minorem erexit et instituit, ita ut ipsa in posterum Basilica Minor in perpetuum nuncupari possit et sit, cum omnibus et singulis honoribus, privilegiis, iuribus, praerogativis et gratiis, quibus aliae minores Basilicae utuntur, fruuntur et gaudent; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque; mandavitque hisce super rebus hoc edi consistoriale decretum, perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, cuius executionem committi voluit eidem Clavarensi Antistiti, et decretum ipsum inter acta referri mandavit Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die XXVII Nov., anno Domini MDCCCCIV.

Pro R. P. D. SECRETARIO
IVLIVS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

EPISTOLA

DILECTO FILIO

ALOISIO MARIGLIANO SACERDOTI

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gratiam tibi collegisque tuis bene multis et agimus et habemus, propter oblatas Nobis amoris observantiaeque significationes egregias, additumque, animi vestri mansurum testem, nobile, re et artificio, donum: quae quidem a vobis, utpote animarum procurationi addictis, profecta, peculiarem in modum iucunda Nobis acciderunt. Nam si gratum commemoratu vobis est, Nos, ex ordine vestro egressos, inivisse, Deo volente, cursum honorum, quo ad Apostolicam Cathedram provecti sumus, non minus Nos libenter recordamur memoriam eius temporis, quum in eodem, ac nunc vos ministerio, fuimus: ministerio sane laborioso et arduo; sed magno et sanctissimo, cuius etiam asperitatem suavissima spiritus solatia saepe temperant. In praesens autem quanta Nos curarum et sollicitudinum moles premat, vos habetis cognitum; siquidem, ob inimicissima fidei moribusque christianis tempora, salutem animarum passim in discrimine esse deploratis. Iamvero ad medendum tot tantisque malis, proptereaque ad

levamentum Nobis afferendum immensi ponderis, mirum quantum in vobis est, dilecti Filii, quibus populus christianus, magis quam Clero cetero, utitur ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum Dei. Talis, ut plurimum, est paroecia, qualem finxerit ac formarit, voce et exemplo suo, Parochus. Quemadmodum enim, si Parochus sanctimonia vitae ac studio animarum eluxerit, facile continebit in officio gregem, deviosque reducere ad frugem poterit, ita, contra, si ipse officiorum suorum immemor apparuerit, is non modo nullus iam erit ad salutem gregis, sed efficacissimus ad ruinam. At vero de vobis, dilecti Filii, dubitandum non est, quin virtutibus omnibus, quae pastorem bonum decent, ornati sitis: quarum virtutum argumentum quoddam inest in ea diligentia, qua Vicarium Iesu Christi, Principis pastorum, observatis et colitis. Pergite ergo pro instituto vestro in aedificationem Corporis Christi elaborare, atque etiam sumite animos confisi patrocinio Virginis ab origine Immaculatae, quod Nos enixe vobis adprecamur. Auspicem caelestium munerum ac singularis Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecte Fili, universisque et singulis collegis tuis, qui suam erga Nos voluntatem tecum testati sunt, atque iis omnibus, quorum curam geritis, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris, festo Immaculatae Conceptionis Mariae, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO
VEDASTO CAROLO CRIQVELION SAC. E S. J.
PRAESIDI ASCETERII MARIAE D. N. AD XHOVÉMONT
LEODIVM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Exercitiorvm Spiritvalivm consuetudinem, qualem praesertim, caelesti prorsus consilio, Sanctus Ignatius, legifer Pater vester, induxit, semper Nos magni fecimus, utpote in qua ad emendandos mores et christianos refovendos spiritus mirifica quaedam insit efficacitas. Nunc autem, quum in hoc Apostolatus fastigio collocati sumus, eo clarius apparet Nobis quantum adiumenti afferre possit consuetudo eiusmodi ad propositum, quod habemus, instaurandi omnia in Christo; si quidem, praeter clericos, a laicis quotidie pluribus teneatur. Quamobrem, dilecte Fili, intelliges cognovisse Nos perlibenter, asceterium, cui praesides, viris ex omni civitatis ordine, annum iam quartum, patere; ad statos crebro secessus convenire frequentes, nominatim opifices et conductores operum; fructus autem, qui consequuntur, uberrimos esse et sanctae consolationis plenos, ac saepe fieri ut, qui in istud

pietatis domicilium falsas de religione opiniones et vacuum officio christianum nomen secum tulerint, iidem conversis feliciter animis egrediantur, voce exemploque popularibus suis hortatores ad frugem futuri. Sane non potuistis meliorem ullam rationem instituere opitulandi operariae plebi, tantis hodie periculis, in istis maxime regionibus, obnoxiae. Revocando enim homines ad cogitationem aeternarum rerum, ac persuadendo ad altiora et magnificentiora multo, quam haec caduca, bona omnes esse natos, confirmabitur vulgo conscientia officii et, qui inferiore utuntur fortuna, non facile infatuari se sinent *socialistarum* fallaciis, beatitatem hominis omnem praesentis vitae spatio concludentium. Itaque et vobis, quorum laboribus studiosisque curis, et iis, quorum gratia et subsidiis opus tam salutare tamque opportunum viget, amplissimam tribuimus laudem. Deo autem cum agimus gratias, propterea quod communia conata vestra benignus adiuvit, tum preces adhibemus, ut adiuvet in posterum, ac, fautores auxiliatoresque vobis multos adiiciens, id ipsum opus ad incrementa in dies laetiora promoveat. Auspicem caelestium munerum ac benevolentiae Nostrae peculiaris testem, tibi, dilecte Fili, sodalibus tuis, et ceteris omnibus, qui in hoc genere tua, quae et Nostra sunt, vota secundent, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris, per sacra sollemnia Virginis Immaculatae, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE
MODERATRICI SODALITATIS MARIANAE
APVD SACRAM FEMINARVM ANGLICARVM DOMVM
BVRGHAVSEN

PIVS PP. X

DILECTA IN CHRISTO FILIA
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Descriptum ornatumque affabre libellum excepimus, in quo eum, quem in Personam Nostram sodalitas ista Mariana adhibet cultum, significatum perbelle expressumque plane voluistis. Quod quidem iucundissimum obsequii genus eo gratiore est a Nobis voluntate susceptum, quod non solum a coetu exhiberetur, qui esset in excolendis Deiparae laudibus totus, sed etiam ea ipsa tempestatis laetitia daretur, quae, ob solemnia iubilaria Virginis Immaculatae, opportuna maxime accideret. Laudis idcirco Nostrae testimonium accipite, illudque ne umquam deponatis e mente, eam Nos probare in primis erga Vicarium Christi reverentiam, quae sit cum Sanctissimae observantiae Virginis iuncta. Testem pater-

nae benevolentiae Nostrae gratiarumque divinarum auspicem, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Decembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE

BARONI DE HAXTHAVSEN

PRAESIDI SODALITATIS GERMANICAE FEMINARVM PVELLARVMQVE

SACRIS EXPEDITIONIBVS ADIVVANDIS

FVLDAM

—

PIVS PP. X

DILECTA FILIA

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad suppetias expeditionibus sacris ferendas convertere vos, coniunctis viribus, animos, atque interea obsequium praestare Illi, qui, personam quum gerat Christi, universos, ad quos expeditio quaevis sacra pertinet, cura et cogitatione complectimur, gratum mirifice est. Quapropter non modo vestrum vehementer probamus amplificandae divinae gloriae studium, exemplumque laudamus, unde publice, ad avitae propagationem fidei, enitetis, sed memorem quoque voluntatem de oblata oratorii sacri supellectili testamur, munusque sic esse a Nobis exceptum profitemur, quemadmodum coniunctionis argumenta excipere par est, quae ab optimis quibusque filiis exhibeantur. Auspicem caelestium

donorum Nostraeque dilectionis testem, Apostolicam Benedictionem tibi singulisque sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Decembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
PETRO ARCHIEPISCOPO TARENTINORVM
TARENTVM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Si progressione temporum progrediatur etiam civilis cultus oportet, commendandum maxime consilium putamus, unde sodalitas captivitati abolendae adducta, tertium Tarenti parat ad rem eandem conventum. Duodeviginti saeculorum praeterlapsa serie, ex quo Redemptor humani generis Christus homines iniquissima captivitate daemonum exuit, id certe refugit considerare animus, hominem tamen captivitate hominum premi. At Christi, remedii unici loco, manent perficienda iussa, miserisque si afferenda Religionis libertas est, nulla id fieri meliori ratione potest, quam illustrata prius hominum mente, et caritate deinde mota. Id esse tertio captivitati abolendae coetui propositum vehementer laetamur, eique memorem profitemur animum, quod, optatis congruenter Nostris, communem excitare curam pietatemque adlaboret. Tarenti autem, in urbe catholicorum congressionibus

non semel hospitali, congregatum iri coetum, non minori Nobis laetitiae est, qui probe scimus nec consultandi lumen, nec deliberandi istic ardorem deesse. Restat ut vota et preces, uti prospero coetus concludatur exitu, addamus, idque pro eo, quo flagrat Nobis animus, subveniendi captivis studio, libenter facimus, Apostolicam Benedictionem tibi ac singulis e conventu, peramanter in Domino impertientes.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Decembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PATRITIO FRANCISCO TIT. S. SVSANNAE S. R. E. PRESB. CARD. MORAN
ARCHIEPISCOPO SYDNEIENSIVM
CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS OCEANIAE
SYDNEIVM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Habitum a vobis haud ita pridem conventum et consulta prudenter in eodem complura, non humane minus, quam grate communi epistola nunciastis. Equidem certe plenos vos divini spiritus, eosdemque officii apostolici diligentissimos in eiusmodi coetu impertiistis, ea maxime in re quum, non modo creditarum incremento ovium, sed eorum etiam, qui foris sunt, invitationi suavi dedistis operam. His quidem caritatem, quae a Christo fortiter urget, demonstrare omnem curae fuit: pietatem vero commendare illis, et catholici nominis suadere omne genus opera studuistis. O utinam, quemadmodum pastoralem in vobis sollicitudinem Nos laude prosequimur, sic efficacitate Dominus ditet! Id sane sperare

bene iubet vestra in Immaculatam Virginem religio, cui uberius provehendae multum sane sollertiae in congressu impendistis. Virgo propterea Deipara consiliis ac laboribus vestris propitia prece obsecundet, vobisque caelestes gratias conciliet, quarum auspicem, Apostolicam Benedictionem et vobis et gregibus vestris peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Decembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PETRO TITVLO SS. QVATVOR CORONATIS
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RESPIGHI
NOSTRO IN VRBE VICARIO

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM DENEDICTIONEM

Experiendo plus satis cognitum est, tam instabili hominem esse natura, ut vel diligentissimus quisque officii, nisi opportunis subinde stimulis excitetur, sensim frigeat ad virtutem, ac tandem languescat prorsus in vitiumque decidat. Ab hac naturae conditione quum sacerdotes profecto soluti non sint, idcirco ne suis partibus aliquando prae languore desint, certa adhibeant subsidia oportet, quibus identidem reparare vires et alacritatem redintegrare pristinam possint. Subsidia eiusmodi non obscure videtur Deus velle, ut potissimum in pio aliquo recessu, idest seorsum per dies aliquot anteactam vitam reputando, quaerantur. *Cogitavi vias meas: et converti pedes meos in testimonia tua* [1]. Perspicuum id

[1] Ps. cxviii, 59.

quidem ratio facit, qua cum Apostolis se gessit Christus Dominus. Qui quum, doctrinae legisque suae destinatos orbi universo nuntios, interea in vicos et castella Iudaeae et Galilaeae, praedicandi Evangelii causa, soleret mittere, reversos, ubi quae docuissent fecissentque audierat, ad solitudinem invitabat, quo, recreatis animis, pares laborando vel magis deinceps fierent. *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum* [1].

Iamvero non Apostolos tantum, quos coram alloquebatur, sed omnes, quicumque Apostolici ministerii participes futuri essent, hac invitatione excitasse Dominus putandus est; ut nimirum, qui ob sanctimoniam non modo officii, sed etiam vitae et sal terrae et lux mundi et quasi terrestres dii esse deberent, iidem praesidium retinendae augendaeque sanctimoniae maximum usurparent.

Etenim, si quaerimus, omnium ornamenta virtutum, quae Clericum decent, studium sacrarum rerum continet: id vero, ob eam, quam diximus, inconstantiam naturae, ex quo die sacris initiati sumus, diuturnitate in multis defervescit, in non paucis dissipatur misere et extinguitur. Ipsa etiam assuetudo, quae quotidie res easdem tractando gignitur, causa est quare paullatim sacerdos non diligentior ad sancta, quam ad cetera vitae munia evadat. Accedunt huc pericula et varia et magna, quae saepe sunt in administratione sacerdotalis officii subeunda. Denique, quum necesse sit de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere, multo magis necessitas haec sacerdotem tenet, in mediis mundi illecebris

[1] Marc., VI, 31.

et miseriis habitantem. Quibus ex rebus omnino apparet oportere, ut, si rectos in nobis denuo excitare spiritus, si quamlibet vitiositatem corrigere in agendo contractam, si maiorem ad discrimina constantiam induere volumus, intermissis loco quotidianis curis, atque e magisterio parumper in disciplinam regressi, illuc revertamur, unde olim bono incensi studio prodivimus, docilesque excipiamus vocem, quae nos de officiis admoneat, salubriter corripiat, ad potiora hortetur atque urgeat. Quamobrem nihil tam proderit, quam longe a strepitu et agitatione communis vitae secedere; quippe animae ad Spiritus Sancti accipienda munera quies est amicissima: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius* [1].

Equidem non intelligimus sacerdotem ullum posse reperiri qui, in tantis difficultatibus, molestiis periculisque collocatus, non tamen sentiat subinde ex intervallo requirendum sibi esse praesidium, quod spiritualia, quae dicuntur, exercitia suppeditant. Atqui videmus haec ipsa ab iis quidem, quorum est actio vitae munerisque commendabilior, cupide expeti accurateque frequentari, ab aliis vero, utinam paucis, ita negligi, ut minimo aestimari videantur. Quid? mercator quivis, cui sunt sui negotia cordi, diligenter quotidie, diligentius quotannis acceptorum et expensorum rationes computabit; sacerdos autem quispiam curatorque animarum, qui, quum Dei negotia administret, Deo districtam rationem redditurus est, non, se colligens aliquando, aequa iudicii lance ponderabit hinc officia sua,

[1] Osee, II, 14.

hinc facta, atque dispiciet utrum vocationi suae congruat, an penitus discrepet?

Imploranda quidem est divina benignitas, ut omnibus ad unum Clericis persuadeat huiusce opportunitatem instituti, quod tanta eis affert adiumenta, unde se rite praestent ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Nobis interea, qui in universa gubernanda Ecclesia praecipuam quandam curarum partem huic Almae Urbi debemus, ad temperandam, ut oportet, Romani disciplinam Cleri, visum est praesertim spiritualium exercitiorum morem fovendo dirigere.

Quare Sodalibus et e Societate Iesu et a Christi Passione et Vincentianis significavimus, gratum Nobis eos facturos, si per unam singulis mensibus hebdomadam (quantum spatii est a vespertinis diei dominici ad matutinas horas proximi Sabbati) in suo quique asceterio urbano sacerdotibus navare operam voluissent. Qui Sodales quum paratissimos responderint sese esse Nostris obsequi votis, iam tuum erit, Dilecte Fili Noster, usque ab initio appetentis anni opportuna praescribere, ut quotquot Romae, praeter religiosas familias, sacerdotes numerantur, omnes, nullo cuiquam suffragante privilegio, spiritualibus exercitiis in aliquo e ternis asceteriis, quae dicta sunt, saltem tertio quoque anno vacent.

Dubitandum minime est quin eiusmodi praescriptiones universi omnes, ad quos datae erunt, magna cum voluntate studeant perficere, atque hoc ipso consolari Nos; qui quidem ad propositum, quod, necessitatibus temporum adducti, urgemus, instaurandi omnia in Christo, nihil tam valere arbitramur, quam recta studia et exempla Clericorum. Auspicem

divinorum munerum benevolentiaeque Nostrae testem, tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVII Decemb. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

APPENDIX

PRAECIPVI SERMONES QVOS SANCTISSIMVS DOMINVS NOSTER

PIVS PP. X

A. MDCCCCIII HABEBAT

I.

AD VIROS EMINENTISSIMOS
RAPHAËLEM MERRY DEL VAL, PRO-SECRETARIVM STATVS,
ET IOSEPHVM CALLEGARI, EPISCOPVM PATAVINORVM,
QVO DIE PVRPVRATORVM PATRVM GALERO
EOSDEM SOLLEMNI RITV HONESTABAT

Vi ringraziamo, Signor Cardinale, dei sentimenti, che, anche a nome del diletto vostro Confratello, Ci avete manifestati. Grazie ad essi, Ci conforta il pensiero, che, pur avendo in altissima estimazione il sublime ministero a cui siete chiamati e il grande onore della sacra Porpora, di cui siete insigniti, voi non omettete di guardare alle responsabilità che avete assunte e al sacrificio costante di tuttociò che è vostro, non esclusa la vita, per la gloria di Dio e pel trionfo della Chiesa. E questa nuova prova della vostra virtù Ci consola davvero, perchè Ci rassicura di aver aggiunto al Collegio Apostolico due veri campioni.

Il buon odore di Cristo, che avete diffuso anche nei luoghi della vostra temporanea dimora, e le opere molteplici di carità, alle

quali continuamente nei ministeri sacerdotali vi siete dedicato, specialmente in questa Nostra città, vi acquistarono, colla ammirazione, la stima universale, e crediamo che voi stesso (ne sia gloria al Signore) abbiate potuto arguirlo dalle sincere dimostrazioni, che in questa occasione vi furono esibite.

Per voi poi, Signor Cardinale, parlano eloquenti, oltrechè la vostra patria (la nostra diletta Venezia), la Diocesi di Treviso, che per la vostra partenza ha sparso con voi (e Noi ne fummo testimoni) tante lagrime, e poi quella di Padova, dove, a costo perfin della vita, avete prodigato tutto voi stesso per il bene delle anime.

Il molto pertanto, o Venerabili Fratelli, che avete fatto finora, Ci è arra di quello, che farete per l'avvenire. Anzi, Ci è dolce il pensare, che voi, Signor Cardinale, colla virtù, colla scienza e colla prudenza, che Ci avete finora dimostrata meritando la Nostra piena fiducia e benevolenza, Ci sarete di valido aiuto, finchè Ci basti la vita, nel governo della Chiesa, specialmente in quei rapporti, che dobbiamo avere coi Governi per tutelare la libertà dei cattolici e per chiamare alla vera fede i dissidenti e gli infedeli.

Voi poi adorno di quella Porpora, che giustamente porta tanto gaudio alla Diocesi di San Prosdocimo, diocesi a Noi doppiamente diletta, sia perchè in essa abbiamo passato gli anni della Nostra gioventù, sia perchè in quel Venerabile Seminario abbiamo avuto la sacerdotale educazione, renderete la Porpora istessa ancora più splendida, continuando nell'esercizio dell'apostolico ministero e in quelle fatiche, che fin qui avete santamente sostenute. Voi, ne siam certi, non solo farete accrescere, se pur è possibile, l'affetto alla Chiesa e alla Sede Apostolica, il che fu l'unica aspirazione di tutta la vostra vita, ma, sebbene lontano, Ci sarete, coi consigli vostri, anche di aiuto e conforto.

Noi quindi siamo ben lieti, che le vostre lampade risplendano più luminose sul candelabro, perchè abbiam fiducia che voi, cui a buon diritto possiamo chiamare i nostri figli primogeniti, Ci renderete, mercè la vostra opera, meno pesante la croce, e Ci aiuterete

a lavorare per la maggior gloria di Dio e pel conseguente trionfo della Chiesa.

I tempi, è vero, sono difficili; ma siamo ministri di Gesù Cristo, che è venuto a portare la pace a prezzo di patimenti e di sangue: *Non veni pacem mittere, sed gladium;* di quel Gesù, che ci ha predette le persecuzioni: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* [1]; *si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit* [2]; e quindi, anche nelle più grandi difficoltà, deve confortarci la divina promessa: *In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.* Questa confidenza ci darà sicura la vittoria, perchè chi confida nel Cielo non sarà smosso in eterno.

A cosiffatto animo e a tanto nobile fiducia vi rinfranchi l'implorata Benedizione Apostolica, che con effusione di cuore impartiamo a Voi, a tutti i cari vostri e a quanti sono presenti, in nome del Padre, e del Figliuolo, e dello Spirito Santo. E così sia.

[1] Ioan. xv, 20.
[2] Ibid. 18.

II.

AD PATRES CARDINALES

REDEVNTIBVS SOLEMNIBVS NATIVITATIS D. N. I. C.

Con lieto animo accettiamo, Signor Cardinale, gli auguri, che Ella, anche a nome del Sacro Collegio, Ci ha presentati, e con gratitudine accogliamo altresì i sensi di devozione e di amore, dei quali, per tutti, Ella si è fatta interprete, porgendoci il voto che la restaurazione in Gesù Cristo, per la intercessione dell'Immacolata, sia presagio di tempi meno fortunosi per la Chiesa. Godiamo poi assai che Ella abbia accennato a questo argomento, perchè il mistero di Betlemme, che siamo per commemorare, offre le prove più luminose del vero Salvatore; Salvatore oggi, come diciannove secoli addietro, Salvatore qui, come a Betlemme, Salvatore unico, eterno, universale, che ha rinnovata la faccia della terra, ed ha ricomposto con Dio e fra gli uomini ogni relazione individuale e sociale.

La capanna di Betlemme, infatti, ci presenta l'uomo perfetto, che, unendo in una sola persona la divina e l'umana natura, restituisce a questa la parte migliore de' suoi privilegi, perduti per la colpa, e le ridona la conseguente pienezza de' suoi vantaggi; onde è che noi non abbiamo altro mezzo per essere veramente uomini, così nell'ordine spirituale come nel sociale, che quello di andare incontro all'uomo perfetto, alla piena misura della vita di Cristo: *donec occurramus in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Laonde tutta la vita cristiana e sociale non deve essere che uno studio continuo per raggiungere la bellezza di Cristo, per ricuperare, così, la nostra dignità e riportare nel mondo, con le doti originali, l'armonia, la concordia e la pace dell' Eden.

Perciò la capanna di Betlemme è una scuola, donde il Redentore divino comincia il suo magistero non colle parole, ma con le opere,

insegnando che unico mezzo di riabilitazione è il sacrificio nella povertà e nel dolore. — A nulla valgono le pompose teorie, i clamorosi comizî, le ardenti discussioni. Per restaurare ogni cosa in Cristo, senza che se ne occupi la scienza, senza che la ricchezza vi presti aiuto e senza che vi intervenga la politica, basta la lezione della scuola di Betlemme, e quando la società camminasse per questa via, sarebbe felice nella contentezza e nella tranquillità universale.

La capanna di Betlemme è una scuola, dove se vediamo un Cesare pagano divenire strumento inconscio della divina Provvidenza e concorrere mirabilmente alla fondazione della Chiesa, apprendiamo anche a tenere per indubitato che alla Chiesa istessa Iddio non può mancare di aiuto. — Certo i mali, onde la Chiesa è afflitta al presente, sono molti e gravissimi; i suoi nemici (mascherati o palesi) numerosi e potenti; i mezzi, che questi hanno per nuocere, formidabili. Ma non dobbiamo perderci di animo, perchè nelle divine promesse abbiamo certo affidamento che Iddio raggiungerà sempre il suo scopo, servendosi, come dice Agostino, per il trionfo del bene, di quel male medesimo, che fu prodotto dalla nostra libera volontà.

La capanna di Betlemme è una scuola, nella quale si insegna che, per restaurare ogni cosa in Cristo, non dobbiamo stabilire alla Divina Sapienza nè il tempo, nè il modo di venire in nostro soccorso. Da quaranta secoli aspettava Israello l'adempimento della promessa fatta nell'Eden. Noi, adunque, dobbiamo imitare non solo la fede degli antichi Patriarchi, ma altresì, ed in modo speciale, quella di Maria e di Giuseppe, i quali, pur sapendo che il figlio di Dio stava per nascere alla vita, e che Betlemme, donde erano tanto lontani, doveva essere la sua culla, senza ansie e timori, aspettano tranquilli le disposizioni del Cielo. — Certamente ci addolora il vedere la Chiesa di Gesù Cristo perseguitata e fieramente combattuta nella sua autorità, nelle sue dottrine, nella sua provvidenziale missione in mezzo al mondo; ma quando pensiamo di trovarci nella valle del pianto e di essere in un tempo di prova, quando consideriamo che sulla terra la Chiesa è militante e che le tribolazioni sono mandate o permesse

da Dio stesso, ci deve riuscire facile l'imitare Maria e Giuseppe, i quali, dopo la tranquilla aspettazione, sicuri di compiere la divina volontà, abbandonano la loro casetta, intraprendono con disagi indicibili un lungo viaggio, e tollerano rassegnati il rifiuto dei Betlemiti, che negarono loro un ospitale ricovero.

La capanna di Betlemme, è una scuola. Quanto sarebbe stata fortunata quella famiglia, che avesse ricoverati in quella notte i poveri sposi! Quante benedizioni sarebbero discese sopra di essa! Ma non v'era luogo per loro: *Non erat eis locus in diversorio* [1]. Gesù venne nella sua città, e i suoi non lo ricevettero; *in propria venit et sui eum non receperunt* [2]. — Poveri popoli e povere nazioni, che non solo non accolgono Gesù e la sua Chiesa, ma, peggiori assai dei Betlemiti, inceppano nella sua azione l'eletta Sposa di Cristo, la perseguitano, la calunniano, e tutto ciò con cecità imperdonabile, perchè non ignorano esser loro riserbata la misera sorte di Betlemme!

La capanna di Betlemme, finalmente, è una scuola, nella quale, se il compimento delle divine promesse non è rivelato ai saggi e ai prudenti del secolo, ma solo ai pargoli, cioè ai semplici pastori, ciò non avviene certamente perchè Gesù voglia addimostrare preferenze nelle umane condizioni. La società degli uomini è opera di Dio; Dio stesso ha voluto la diversità delle condizioni, e Gesù non è venuto a cambiare quest'ordine, chiamando a sè i soli poveri; egli è nato per tutti. Ciò è tanto vero che, a dimostrare questo carattere di universalità tutto proprio della sua divina missione, volle nascere in luogo, ove a nessuno fosse vietato l'accesso, volle discendere da sangue reale, perchè non lo disdegnassero i principi, volle nascere povero, perchè ognuno, senza riguardo, potesse muovere a lui, volle infine comparire bambino, per farsi tutto a tutti, e perchè nessuno avesse timore di avvicinarlo.

L'Angelo non ha manifestato ai cittadini di Betlemme la lieta novella, non solo perchè essi se ne erano resi indegni col rifiuto di

[1] Luc. II, 7.
[2] Ioan. I, 11.

ospitare Maria e Giuseppe, ma perchè, lungi dall'andare alla grotta, non avrebbero curato siffatto annunzio, come fecero più tardi quei di Gerusalemme all'arrivo dei Magi. — Ed il medesimo accade anche al presente, allorchè, parlando gli Angeli della Chiesa, non pochi fra i battezzati, per la corruzione del cuore, che fa velo alla mente, non solo li deridono e li scherniscono, ma negano eziandio i fatti più evidenti, le verità più manifeste, i diritti più sacri, menando vanto di non credere a nulla. — Come adesso, anche allora v'erano uomini superbi di mente e corrotti di cuore, che, quantunque fossero depositari delle divine promesse, vivessero vicino al tempio, e si vantassero di far parte del popolo eletto, non avrebbero creduto all'annunzio dell'Angelo. Ed infatti essi non si arresero alla verità nemmeno allora quando Gesù ridonava la vista ai ciechi, la favella ai muti, e risuscitava i morti; ma, dopo di essere stati in mille guise beneficati, lo vollero crocifisso; storia di dolore, che tante volte si rinnova.

Se molti, pertanto, pur celebrando, come si usa anche dai mondani, con istraordinaria letizia e con ricambio di auguri questa ricorrenza, non sono per profittare delle lezioni, che ci offre il mistero di Betlemme per restaurare ogni cosa in Cristo, deponiamo tutti insieme, Venerabili Fratelli, alla culla del celeste Bambino, le nostre preghiere, perchè Egli intervenga colla sua grazia e tutti se ne giovino a salute. — In quanto a Noi, fidenti in Dio, sicuri dell'efficace ed amorevole concorso del Sacro Collegio, confortati dalle preghiere di tutto il mondo, non dimandiamo che la grazia di adorare tranquillamente in tutto le disposizioni della Provvidenza; ed esprimendo al Sacro Collegio, col cuore aperto, i voti più sinceri per la sua prosperità, in pegno del nostro particolarissimo affetto impartiamo a loro, Signori Cardinali, e a tutti gli altri qui presenti l'Apostolica Benedizione.

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO PP. X

HABITI SERMONES A. MDCCCCIV

I.

AD SODALITATEM IVVENTVTIS CATHOLICAE ROMANAE

DIE XVIII IANVARII A. MDCCCCIV

Sempre cari Ci son gli omaggi e le congratulazioni dei fedeli, di qualunque condizione essi siano, e da qualunque parte essi vengano; ma non troviamo parole per esprimere la Nostra viva soddisfazione e la sincera Nostra riconoscenza pei sentimenti e le proteste di devozione, che Ella, Signor Presidente, ha espressi a Noi ed alla Chiesa in nome proprio e degli ottimi suoi compagni della Società della Gioventù cattolica romana.

La Società della Gioventù cattolica, sorta in momenti di aspre lotte, quando i nemici del nome cristiano, approfittando della inesperienza della gioventù, lusingandone le passioni ed abusando delle doti, che la distinguono, cercavano di infiacchirne gli animi, corromperne i costumi e gittare nei giovani i germi funesti della incredulità e della indifferenza: la Società della Gioventù cattolica, istituita quando la Chiesa era assalita da ogni parte e abbandonata da quelli stessi, che fino allora Le si erano dimostrati ipocritamente fedeli: questa società, che, vincendo gli umani rispetti, ha difeso, imperterrita i diritti conculcati della Chiesa, ha consolato nelle Sue angustie il Pontefice, Lo ha aiutato nei Suoi bisogni, ed ha reso popolare e venerato non solo nell'Italia, ma in tutto il mondo, il nome di Lui: questa

Società, che manifestò la sua azione in tante opere religiose e civili, applicando il solenne precetto della carità verso Dio e verso gli uomini: questa Società, che ben a ragione può dirsi madre di tutte le altre che sorsero in appresso, dei Congressi cattolici, delle pie opere per gli interessi cristiani, delle unioni artistiche ed operaie, e che nelle stesse lotte riscosse non solo l'applauso dei buoni, ma anche il rispetto e l'ammirazione degli avversari, ha nobilmente meritato della Chiesa e del Romano Pontefice.

Oh, Noi li ricordiamo con vera compiacenza quei generosi campioni, oggi già provetti, i cui meriti si vorrebbero misconosciuti, ai quali la Chiesa è debitrice di trionfi e ai quali, anche ai più lontani, Ci è dolce di mandare con ammirazione e gratitudine il più affettuoso saluto. – Era vivo in quei giovani lo spirito di fede, e quindi, invitto il coraggio, che, nelle lotte, rinnovavano accostandosi alla mensa Eucaristica; era perfetta l'unione, nella obbedienza riverente a chi li dirigeva; erano esemplari e deliziose le adunanze, senza gare e senza grida rumorose ed incomposte. Ognun d'essi si conteneva, senza ambizioni e come semplice gregario, in questo esercito, che, nella amorevole concordia, fu sempre vittorioso.

Figli di quei valenti, procurate di non esser da essi degeneri, e, prendendo forza dal Principe degli Apostoli, di cui il vostro circolo porta il nome, perseverate col vostro zelo nelle innumerevoli opere, per le quali siete tanto benemeriti della causa cattolica, e per esser degni di una lode piena, colla concordia, colla obbedienza e colla unione perfetta, siate di esempio a tutti gli altri circoli d'Italia.

In tutti i tempi, i vecchi soltanto erano i capi e i direttori della società; i giovani le braccia e i fedeli esecutori. L'età presente con aperta ribellione e con febbre d'indipendenza, vorrebbe invertito quest'ordine; ma come è possibile che abbia vittoria un esercito, la cui direzione sia affidata a coloro, che, pur essendo generosi, non hanno nè senno, nè esperienza? La Storia sacra ci ricorda il fatto di Roboamo, *qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo.* Ma quale fu

la conseguenza di questo inconsiderato procedere? La divisione del regno di Giuda. Affinchè pertanto sia risparmiata alla causa cattolica una sorte sì amara, combattete tutti come combatte una disciplinata falange: la forza delle giovani braccia si presti ossequente al maturo senno del capo, e dalla concorde azione del duce e del milite sorga il trionfo della vittoria.

II.

AD COLLEGIVM PVRPVRATORVM PATRVM
VOTA ATQVE OPTATA PER DIEM NOMINALEM PONTIFICIS SVMMI
OFFERENTIVM

Accogliamo con viva soddisfazione i felici auguri che il Sacro Collegio Ci porge, per la prima volta, nella fausta ricorrenza della festa di S. Giuseppe, il cui nome venerato Ci fu dato in sorte di ricevere nel Santo Battesimo. Questi auguri sono una testimonianza, a Noi graditissima, dei filiali e devoti sentimenti del Sacro Collegio, e Ci raddoppiano la letizia di una festività già cara al mondo cattolico per tanti titoli.

Mentre, pertanto, rendiamo al Sacro Collegio sentiti ringraziamenti, eleviamo la Nostra mente ed il Nostro cuore al dolcissimo Patrono della Chiesa universale, affinchè, a compimento dei voti offertici, ottenga a Noi dal Sovrano Datore di ogni bene lumi ed aiuti nell'esercizio dell'arduo Nostro ministero, ed alla Chiesa quella efficace e benigna protezione, di cui ha tanto bisogno nelle dure e perigliose lotte del tempo.

E queste lotte certamente non mancano anche ai giorni nostri. Ed in vero, se volgiamo lo sguardo alle condizioni della grande famiglia cattolica, Noi troviamo, senza dubbio, argomenti ben solidi di consolazione, scorgendo la bella e stretta unione dell'Episcopato con questa Sede Apostolica, il movimento affettuoso dei popoli verso il centro dell'unità ed il fecondo e progressivo sviluppo, che vanno prendendo le opere cattoliche presso tutte le nazioni; ma, d'altro lato, abbiamo larga materia di preoccupazione e di amarezza nel vedere con quanto ardore sono oppugnati i principî cattolici, con quanta pertinacia sono sparsi in mezzo alle moltitudini errori funesti

non meno alla Chiesa che al civile consorzio, e con quanta aberrazione sono distrutte in alcuni luoghi istituzioni ed opere saluberrime, fondate dalla Chiesa con tanta sollecitudine e con tanti sacrifizî pel bene morale e materiale del popolo.

Ed in ordine a quest' ultimo punto, a Voi son noti, Signori Cardinali, i dolorosi avvenimenti che, da qualche anno, si vanno svolgendo in Francia. Da che fummo assunti, per inscrutabile consiglio della divina Provvidenza, alla cattedra del Principe degli Apostoli, Noi non mancammo, come già il Nostro glorioso Predecessore, di dar prove di sincero affetto all' illustre nazione francese e di speciale deferenza al suo Governo.

Se non chè, Ci è d' uopo confessarlo, mentre Ci allietano grandemente le continue dimostrazioni di pietà e di attaccamento, che Ci vengono da quel popolo cattolico, Ci addolorano profondamente le misure già adottate ed altre che stanno adottandosi nella sfera legislativa contro le Congregazioni religiose, che formarono in quel paese, colle loro opere esimie di carità e di educazione cristiana, la gloria non meno della Chiesa cattolica che della patria. Come se non fosse stato immensamente grave e deplorevole quanto erasi fin qui compiuto a detrimento di esse, si è creduto di andar più oltre, malgrado i nostri sforzi per impedirlo, col presentare e propugnare un progetto, che ha per scopo non solo d' interdire, con ingiusta ed odiosa eccezione, qualsiasi insegnamento ai membri degli Istituti religiosi anche autorizzati, e ciò unicamente perchè religiosi, ma eziandio di sopprimere gl' Istituti medesimi approvati a scopo preciso d' insegnamento e di liquidare i loro beni. Siffatta misura avrà, come ognuno comprende, la triste conseguenza di distruggere in grandissima parte l' insegnamento cristiano, fondamento precipuo di ogni civile società, preparato ed alimentato dai cattolici, sotto l' egida della legge ed a prezzo dei più generosi sacrifizî. In tal guisa, si avranno innumerevoli fanciulli allevati, contrariamente alla volontà dei loro genitori, senza fede e senza morale cristiana, con danno incalcolabile delle anime; come pure si avrà di nuovo il pietoso e sconfortante spettacolo di

migliaia di religiose e di religiosi, costretti, senza aver demeritato in nulla, ad andar raminghi e privi di risorse su tutti i punti del territorio francese, ovvero profughi in terre straniere. Noi deploriamo e riproviamo altamente siffatti rigori, essenzialmente contrarî al concetto di libertà benintesa, alle leggi fondamentali del paese, ai diritti inerenti alla Chiesa cattolica ed alle norme della stessa civiltà, che vieta di colpire cittadini pacifici, i quali, pur dedicandosi, sotto la garanzia della legge, ad opere di cristiana educazione, non vennero mai meno ad alcuno dei doveri e degli oneri imposti agli altri cittadini. Nè, a questo proposito, possiamo dispensarci dall' esprimere il Nostro dolore per la presa disposizione di deferire al Consiglio di Stato, come abusive, lettere rispettose, rivolte al Supremo Magistrato della Repubblica da alcuni benemeriti Pastori, tre dei quali, membri del Sacro Collegio, Senato augusto della Sede Apostolica, quasi potesse costituire una colpa l' indirizzarsi al Capo dello Stato per richiamare l' attenzione di lui sopra argomenti strettamente connessi coi più imperiosi doveri della coscienza e col bene pubblico.

Ma, benchè questa situazione amareggi profondamente il Nostro cuore, non diminuisce però il nostro coraggio; nutriamo, invece, ferma speranza che il Signore, accogliendo benignamente le Nostre suppliche e quelle di tante anime pie, affretterà l'ora delle sue misericordie ed aprirà anche il cuore di quelli che oggi son sordi alla voce della Chiesa. A questi sentimenti di fiducia e di conforto si ispireranno sopratutto, ne siamo certi, le religiose ed i religiosi di Francia, figli eletti della Chiesa cattolica, che Noi seguiamo nel loro dolore col più profondo affetto del Nostro animo paterno e colle Nostre più ferventi preghiere. Che la dura prova del momento non iscuota la loro fermezza, e si dieno, anzi, con raddoppiato fervore ad una vita di fede e di opere sante, perdonando a quanti avversano comechessia i loro Istituti, e tenendo sempre alti i loro pensieri ed i loro sguardi. La tribolazione è il retaggio della Chiesa; ma, attraverso le ombre e le vicende di quaggiù, la fede ci addita i puri orizzonti di un' altra patria, ove, in premio delle nostre virtù e

delle angustie pazientemente sofferte, Ci sarà dato godere, nella visione di Dio, pace e dolcezza senza fine.

Vediamo bene, Signori Cardinali, che le Nostre parole sono trascorse dalla letizia della festa ad argomento del tutto differente; ma Ci è sembrato opportuno, che Voi, come Nostri figli carissimi, foste a parte delle Nostre gioie e delle Nostre pene. Ed ora, nell' augurarvi dal Cielo, in ricambio dei vostri voti, i più eletti favori, V' impartiamo di tutto cuore l' Apostolica Benedizione.

III.

AD PIOS E GALLIA PEREGRINOS,

DIE XXII SEPTEMBRIS A. MDCCCCIV

Se non avessimo altri argomenti per fare le più liete accoglienze ai cari pellegrini della Francia, basterebbe la commendatizia del Venerando Cardinale Arcivescovo di Parigi, nel cui nome Ella, Monsignore, Ce li ha presentati.

Una speciale ragione poi, per avere diritto alle più benevole attenzioni, si è quella di essere venuti a Roma nel cinquantesimo anniversario della definizione del dogma della Immacolata, per affermare solennemente, che la Francia è il regno di Maria, e che quindi, come proclamava la Venerabile Pulzella d'Orleans, Giovanna d'Arc, la Francia è il regno di Gesù Cristo.

Nessuna consolazione potrebbe riuscirci più cara, o diletti figli, in questo momento, in cui siamo profondamente contristati per quello che si trama a detrimento della Religione anche nella vostra patria; poichè la vostra venuta Ci conferma nella convinzione che Dio ama la Francia, perchè ama la Chiesa, e che, come protegge la sua sposa, così vuole salva la sua figlia diletta.

Sì, Dio ama la Francia per le opere molteplici di religione istituite alla salvezza delle anime: opere, che, come le acque di fiume regale, diffondono per ogni dove la loro benefica influenza.

Dio ama la Francia per le pacifiche conquiste dei suoi intrepidi Missionarî, che corrono a portare la luce della fede nei punti più inesplorati del globo, in mezzo alle tenebre della idolatria.

Dio ama la Francia, perchè, se egli non lasciò mai impunite le ingratitudini di questa nazione, la quale non si dimostrò sempre fedele alla missione datale dal Cielo, nè sempre riconoscente dei privilegi che le furono concessi, tuttavia non mancò mai di rilevarla con quel braccio medesimo, onde l'aveva punita.

Iddio ama la Francia, perchè, anche in questi giorni di proscrizioni e di angustie, invita i suoi figli ai santuari di Montmartre, di Paray le Monial e alla grotta di Lourdes a pregare, a piangere e ad ammirare i miracoli della sua Onnipotenza; e Iddio non accorda queste grazie, che alle nazioni cui vuole salve.

Iddio ama la Francia, perchè eccita i suoi figli a manifestare la loro fede colla devozione alla Chiesa, coll'attaccamento alla S. Sede Apostolica e coll' affetto al Vicario di Gesù Cristo, chiamandoli, a costo di sacrifici, alla cattedra di Pietro, affinchè sentano la parola di verità, abbiano l'indirizzo delle loro opere e si rianimino nelle battaglie, che devono sostenere. Orbene, una nazione, che ha di questi figli, non deve perire.

Consoliamoci, pertanto, a vicenda, o dilettissimi; e ritornando nei vostri paesi, portate con voi, non la speranza soltanto, ma la certezza che Gesù Cristo, nella bontà infinita del misericordioso Suo Cuore, salverà la vostra patria, tenendola sempre unita alla Chiesa, e, per l' intercessione della Immacolata, farà sorgere l'aurora di giorni migliori. Questo vostro edificante pellegrinaggio rinforzerà sempre più la vostra fede, darà un nuovo slancio alla vostra pietà, e costituirà un grande esempio di imitazione pei vostri fratelli.

Frattanto, benediciamo col massimo affetto la Francia, e, prima di tutti, l' illustre suo episcopato, che per gli interessi della religione e della salute delle anime spiega uno zelo sì ardente.

Benediciamo, con tutta l'effusione dell' anima, i Vicarî, i Curati, e tutti gli altri Sacerdoti, implorando dal Cielo, che, nell' esercizio e nei frutti del loro ministero, abbiano le più care consolazioni.

Benediciamo, finalmente, di cuore tutti voi, le vostre famiglie, i vostri amici e le opere vostre, perchè possiate compierle con ardente coraggio e con piena confidenza negli aiuti del Cielo; e facciamo voti che questa benedizione sia fonte per tutti i presenti e i lontani dei più soavi conforti.

Benedictio etc.

INDEX

MDCCCCIII.

Epistola Encyclica « *E supremi* », die 4 Octobris, ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum ordinarios Orbis catholici. Pontificatum Summum, formidandum humanis humeris pondus, quo acceperit animo, initio patefacit; invitus enim et reluctans et nonnisi apertissimae voluntati Dei tandem obsecundans accepit. Id autem de ea, quam Ipse erit secuturus, administrandae Ecclesiae forma properat edicere, propositum esse Sibi *instaurare omnia in Christo.* — Humanum genus quam longe abscesserit a Deo, describit, illudque revocandum esse demonstrat ad maiestatem imperiumque Numinis: unde instaurare omnia in Christo idem esse infert atque homines ad Dei obtemperationem reducere. Referendorum ad Christum hominum *viam* in Ecclesia esse indicat: eos Ecclesia Christo subdet, Christus autem Deo. *Adiumenta* sacerdotes sunt, quos hac potissimum de caussa oportet Christum antea induere. Non tamen florere sacerdotium poterit, nisi Seminaria sanctissime vigeant, ac nisi candidati initiandi sacris sedulo deligantur ab episcopo, qui nemini debet cito manus imponere. — Praeterea evigilare episcopos necesse est super sacerdotes e seminario digressos. — Hoc certe Pontifex cum primis faciet, qui tum eos a fallaci scientia, non redolente Christum, arcebit, tum vero studiis in omni sapientiae genere favebit, ita tamen ut primas illis e clero concedat, qui utilitatibus animorum comparandis se dedant. Nam id, praeter cetera, interesse aetate hac nostra Pontifex censet, *evangelizare pauperibus*, et non modo pauperibus, sed etiam excultioribus civium ordinibus, in quibus incredibilis lugenda quaedam est relligionis igno-

MDCCCCIV.

APPENDIX

HABITI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO PP. X

SERMONES PRAECIPVI

ANNO MDCCCCIII.

ANNO MDCCCCIV.




C 82.190.5
Acta /
Widener Library
002867843
3 2044 081 857 922